UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


R. P. Lucae Pinelli Societatis Jesu Theologi, De Perfectione Religiosa, Et Obligatione, Qvam Qvisqve Religiosus ad eam consequendam habet. Libri Quatvor

Pinelli, Luca

Mogvntiae, 1604

urn:nbn:de:hbz:466:1-46699

Visual Library



Th. 2759.

NELLI
IS IESV
OGI,
TIONE RE-
OBLIGATIO-
VISQVE RE-
consequen-
abet.

VATVOR.
n linguam latinam re-
OANNE BVSÆO,
etatis Theologo.



Collegij Pad. N.° 66.

04.

IÆ,
us Lippius.
periorum.

g. I
35.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P.

LVCÆ PINELLI

SOCIETATIS *IESV*

THEOLOGI,

DE PERFECTIONE RELIGIOSA, ET OBLIGATIONE, QVAM QVISQVE Religiosus ad eam consequendam habet.

LIBRI QVATVOR.

Ex Italico idiomate in linguam latinam recèns conuersi, à IOANNE BVSÆO, eiusdem Societatis Theologo.

Liber Societ. Jesu Collegij Pad. An. 1606.

16 04.

MOGVNTIÆ,

Excudebat Balthasarus Lippius.

Cum Cæs. priuil. & concess. Superiorum.

OPERIS PARTITIO.

OPVS HOC DIVISVM EST in quatuor libros.

IN Primo agitur de Vocatione, eiusque fine, qui est Perfectio.

In secundo, de Votis, eorumque perfecta obseruatione.

In tertio, de præcipuis Virtutibus religioso necessarijs: & in quibus religiosa perfectio inprimis consistat.

In quarto, de nonnullis exercitijs, actionibusq; religiosi, quibus declaratur quantos progressus in perfectione fecerit.

APPROBATIO

LVDOVICI MANSONII SOCIETATIS IESV IN REGNO Neapolitano Prouincialis.

OPvs hoc de perfectione religiosa à P. LVCA PINELLO compositum, Romæ per aliquot Societatis nostræ Theologos fuit recognitum, & à Patre nostro Generali approbatum. Quare auctoritate nobis ab eodem Patre Generali concessa, facultatem damus, vt imprimatur.

Ludouicus Mansonius.

ELENCHVS
CAPITVM LIBRI PRIMI.

CAP. I. *De fine eorum, quos Deus ad religionem vocat.*

II. *In quo consistat amoris cultusq; diuini perfectio, ad quam religiosus est obligatus, quidq; Deus ab eo requirat.*

III. *Quod religiosus magni facere debeat suam Vocationem.*

IV. *Quantopere Deum offendat religiosus, qui parui facit suam Vocationem, & religionem.*

V. *De tentationibus & periculis deserendi Vocationem:*

VI. *Non satis esse religioso, quod à Deo ad religionem vocatus sit, sed praterea opus esse, vt ad suæ vocationis perfectionem contendat.*

VII. *Religiosum debere attendere ad ea, quæ suæ & non alienæ religionis sunt propria:*

VIII. *In quo consistat, esse verum & perfectũ religiosum.*

IX. *De defectibus internis perfectionem religiosam impedientibus.*

X. *De defectibus externis perfectionem religiosam impedientibus.*

XI *Quibus mediis acquiratur perfectio.*
XII. *De gaudio spirituali, quo religiosus perfectionis studiosus perfunditur.*
XIII. *De laboribus & arumnis, quas patiuntur religiosi deserentes viam perfectionis.*
XIV. *Religiosum debere magna fiducia aspirare ad consequendam perfectionem.*
XV. *Nulla re mundi posse religiosum auocari à consequenda perfectione.*
XVI. *Bonum religiosum non debere esse contentum quocunque perfectionis gradu, sed aspirare ad maiorem.*
XVII. *Religiosum debere perfectionem acquisitam conseruare, & de modo eandem conseruandi.*

ELENCHVS CAPITVM. LIBRI II.

CAP. I. *De nobilitate & excellentia trium Votorum, quæ fiunt à religiosis.*
II. *De vtilitate, quam Vota conciliant religiosis.*
III. *Quàm grata, acceptaq; sint Deo tria religiosorum Vota.*
IV. *Quàm conueniens sit, vt religiosi se obstringant Deo tribus Votis,*

V. Quo

V. *Quo sensu religiosa perfectio consistat in tribus Votis.*

VI. *De perfecta Votorum observatione.*

VII. *Quàm conueniens sit religiosos esse amantes Paupertatis.*

VIII. *De dignitate & laudibus religiosæ Paupertatis.*

IX. *De Vtilitate, quam religiosis affert Paupertas Voluntaria.*

X. *Quemadmodum Deus etiam in hac Vita religiosis Votum paupertatis compenset.*

XI. *De necessitate observandi Votum paupertatis.*

XII. *De defectibus, qui contra Paupertatem committuntur.*

XIII. *Quid sit castitas religiosa, & quod eius officium.*

XIV. *De excellentia castitatis religiosæ.*

XV. *Quantopere conueniat religiosos esse castos.*

XVI. *Quod necessarium sit & perutile religiosum esse castum.*

XVII. *De castitatis religiosæ Vtilitate.*

XVIII. *De amittendæ castitatis periculis.*

XIX. *De mediis ad conseruandam castitatem idoneis.*

XX. *In quo consistat obedientia religiosa.*

XXI. *Quàm grata sit Deo obedientia religiosorum.*
XXII. *De excellentia & dignitate obedientiæ religiosæ.*
XXIII. *De vtilitate obedientiæ religiosæ.*
XXIV. *Quàm conueniens sit religiosum esse obedientiæ studiosum.*
XXV. *De primo Obedientiæ gradu, qui consistit in executione.*
XXVI. *De secundo Obedientiæ gradu, qui pertinet ad voluntatem.*
XXVII *De tertio Obedientiæ gradu, pertinente ad intellectum.*
XXVIII. *Epilogus de obedientia religiosa.*

ELENCHVS CAPITVM.

LIBRI III.

CAP. I. *De humilitate religiosa.*
II. *De caritate religiosi in DEVM.*
III. *De caritate religiosi versus proximum.*
IV. *De gratitudine religiosi erga Deum ob beneficia ab eo recepta.*
V. *De patientia religioso necessaria.*
VI. *De mansuetudine à religioso colenda.*
VII. *De mortificatione religioso necessaria.*
VIII. *De discretione, quæ religioso conueniat.*
IX. *De indifferentia religioso necessaria.*
X. *De modestia religioso necessaria.*

XI. *De*

XI. *De Virtute orationis.*
XII *De Virtute perseuerantiæ.*

ELENCHVS CAPITVM.

LIBRI IV.

CAP. I. *Religiosum non debere grauiter ferre, si ab aliis contemnatur.*
II. *Religiosum non debere esse commodorũ corporis plus æquo studiosum.*
III *Non esse satis religioso corpus refrenare, nisi & anima coerceatur.*
IV. *Religioso exuendum esse immoderatum affectum erga parentes.*
V. *Religiosum magna circumspectione debere vti in conuersatione aliorum.*
VI. *Religioso fugiendum esse otium.*
VII. *Religioso conuenire frequenter audire & loqui de rebus spiritualibus.*
VIII. *Religiosum debere in omnibus actionibus suis esse diligentem.*
IX. *Religioso fugiendas esse contentiones, & colendam pacem.*
X. *Quemadmodum religiosus gerere se debeat in suis tribulationibus.*

AD RELIGIOSOS, ET DEI SERVOS.

INSTITVTVM meum est, religiose Lector, stylo simplici & perspicuo libellum conscribere, non absimilem illi, qui DE IMITATIONE Christi, auctore Gersone, vel Thoma de Kempis inscribitur, sed religiosorum professioni inprimis accommodatũ. In quo nimirum à CHRISTO Domino salutaria quædam monita & documenta cuiq; religioso præscribantur, & suos defectus lapsuque facile agnoscendi, & eam vitæ spiritualis perfectionem consequendi, ad quam omnes ratione vocationis suæ contendere tenentur. Hoc quicquid opellæ est, vti Deo inspirante confeci, ita Dei seruis, quò ad eius lectionem procliuius incitarentur, dedicare volui. Etsi enim non diffitear huius generis opusculorum non exiguam extare copiam, hoc tamen confido tibi non fore vel inutile, vel iniucundum. Quemadmodum non vnum est omnium palatum, ita conuenit eandem rem alijs atq; alijs modis tractari, vt quisq; id tandem legat, quod proprio gustui magis arriserit. Vtinam DEVS O. M. pro immensa sua bonitate tantum gratiæ suæ nobis impertiat, quo tum ex hoc, tum ex alijs spiritualibus libellis eum hauriamus fructum, qui in hac vita nos ab omni culpa, in altera verò ab omni pœna præstet immunes.

LIBER PRIMVS

DE PERFECTIONE RELIGIOSA.

In quo agitur de Vocatione eiusque fine, qui est Perfectio.

CAPVT I.

De fine eorum quos Deus vocat ad religionem.

FILI, ego omnium hominum auctor sum & conditor, & idcirco peculiarem eorum curam gero, ac vnicuique eam vitæ instituendæ rationem suggero, qua duce, me diligendo & colendo tanquam creatorem suum & Dominum, ab æterna salute non excidat. Quosdam autem speciatim, inter quos & tu numerandus es, delegi, & è mundo vocaui ad religionem, hoc est ad statum sæculari longè sublimiorem & perfectiorem, vt perfectius me cognosceres, amares, & coleres, pluribusque bonorum operum meritis locupletatus, facilius ad felicitatem

æternam peruenires. Nec aliò officia exercitiaque omnia, quæ in religione ad quam te vocaui offendisti, destinaui, quàm vt eorum beneficio ad vitæ spiritualis culmen aliquando contenderes. Si enim meritò plus ab ijs exigitur, quibus plus datum est, iure quoq; à religiosis maius perfectionis studium postulatur, quos Deus tot singularibus donis cumulauit. Sic olim dilectum populum meum Israëliticum à dura Ægypti seruitute vindicaui, vt eum ad iucundissimã promissionis terram perducerem, ibique tranquillius & perfectius cultui diuino operã daret. Ideo legem illi per Moysen dedi, & cæremonias, quas obseruaret, præscripsi. Omnes quidem ab AEgypti ærumnis sunt liberati, sed non omnes ad terram promissionis peruenerunt. Qui enim mente obdurati diuinis mandatis rebelles extiterunt, velut ingrati pro meritis suis castigati sunt & è viuis sublati. Nec enim dignus est venia, qui benefactoris & Domini sui mandata contempserit.

O quantum falluntur religiosi illi, qui se vocationi suæ facere satis existimat, si conscientiam suam grauioribus peccatis non inquinent, & dum minimum aliquod opus bonum præstant, come contentum

cre-

credunt, & ideo posthabita omni perfectionis assequendæ cura in cultu diuino oblangueſcunt. Non ita se res habet, ego enim illos laqueis mundi, & grauiorum lapsuum periculo non alia de causa exemi, quam vt promptius expeditiusque ad perfectionem vitæ spiritualis aspirarent, me piè colendo, & iugè sanctarum actionum exercitio gratiam meam promerendo. Certè, quisquis incuriosè negligit contendere ad perfectionem, quam postulo, præterquam quod retrocedat & deficiat, mihi nequaquam placet. Nam vt per Prophetam meum dixi, non satis est declinasse à malo, sed insuper facienda sunt bona, religioni, ad quam quisque vocatus est, congruentia. Magnam iacturam facit, qui, quando commodè potest, vberem rerum spiritualium quæstum per incuriam negligit. Quare neque mirum est quosdam religiosos nunquam pertingere ad inæstimabiles thesauros, à me in terra viuentium illis præparatos: immo nec mirum est quosdam deserta vocatione sua ad ollas AEgypti, id est, ad sæculum redire. id enim iustissimè ob eorum torporem & ingratitudinem permitto. Meritò siquidem exuitur bonis, qui vel ea non agno- *Psal. 36.*

agnoscit, vel certe ijs non vtitur, quemadmodum conuenit.

Si eos tantùm à mundi calamitatibus & fraudibus liberassem, magnum satis beneficium præstitissem, at præterea vos vocaui ad religionem, & in meam quasi familiam adscripsi, omnique commoditate donaui, vt perfectius mihi seruiretis. Age dic mihi, quisquis ad perfectionem illam me amandi colendiq́ue anhelare non vis, sed sat esse arbitraris, si peccato mortali me non offendas, vtri damnum maius inferas, mihi an tibi? tibi certe soli, & quidem opinione tua grauius. Rursum dic. Si in sæculo omnia tibi commoda suppeterent, & immunis esses ab omnibus vitæ periculis, atque etiam de salute animæ certus, nonne magni beneficij loco duceres seruire mihi, tuo creatori & Domino? Ita certe. Iam ergo cum per me omnibus sæculi ærumnis sis solutus, & vtrisque corporis animiq́ue periculis liberatus, vt mihi Regi gloriæ commodius seruire possis, iudica ipsemet, an non conueniat omnem torporem & negligentiam ab animo excludere? An fortè putas, ideo me à te puriorem perfectioremq́ue amorem atque cultum, quam à sæcularibus reposcere, quod

inde

inde commodum aliquod mihi accedat? Nequaquam, ego enim officio tuo & ministerio opus non habeo, omnisq; officiorum tuorum fructus non in me, sed in te redundat. Deinde status tui professio id postulat, vt quanta potes perfectione mihi seruias, cum religio aliud non sit, quam schola perfectionis. Nec aliud est, religiosum esse, quam viam inire, qua ad amoris, cæterarumq; virtutum diuinarū perfectionem contendatur. Quocirca vana est eorum religio, qui in bonorum operum exercitatione hanc perfectionis viam negligunt. Hoc enim est, quod ab omnibus religiosis requiro, hoc volo; & ideo ex huius mundi laqueis extractos in paradiso religionis collocaui. Arbor diu in horto manere non potest, quæ fructum, ob quem plantata est, non protulerit.

In quo consistat amoris cultusque diuini perfectio ad quam religiosus est obligatus, quidq; Deus ab eo requirat.

CAPVT II.

ESTO, præstet religiosus aliquis magna & admiranda, si ea amore mei impul-

pulsus non facit, nec mihi grata sunt, nec mea remuneratione digna, sin facit amore mei, sed languido & imperfecto, professioni suæ non satisfacit. Dum eum vocaui è mundo, se totum mihi tradidit, promisitq; omnia amore mei facturum, & ego sponsioni eius subscripsi, in domum meam; vti meum, eum suscepi, meis insignibus ornaui, necessaria attribui, & tanquam rem mihi carissimam, tractaui. Quod si ille iam alij cuipiam in cor suum aditum patefacere volet, aut partem sui alteri, præterquam mihi, communem facere, perfecti sanè amatoris officio non fungitur, nec enim potest alteri dare, quod mihi prius dedit. Imò qui rem semel dono datam, recipit vel pro se, aut vt alteri donet, fur est, & furum pœna mulctandus.

Aues cognoscere fili, quis religiosus perfectè me amet? Is, inquam, qui in omnibus rebus, paruis æquè ac magnis præstare conatur, quod mihi placuerit, qui voluntatem meam, simulatque eam cognorit, nulla interposita mora exequitur, qui libenter non modo meis mandatis obsequitur, sed ad minimum etiam nutum se promptum & paratum declarat. Amator perfectus vnum idemque cor, eandemque voluntatem

tatem habet cum amato, & idcirco odit vel amat, quicquid odit vel amat amatus. Amator perfectus nulli labori parcit, omnis fatigatio illi dulcis, vt perficiat, quod gratum est amato. Amator perfectus, non solùm cauet in re quantumuis leuissima displicere amato, sed etiam impensè studet magis magisque ei placere. Qui non conatur amare rem aliquam, quemadmodū meretur, aut non cognoscit illam, aut iniuriam illi facit.

Longè à perfectione aberrat religiosus, qui vbi affectum curamque plus æquo in res parui momenti curandas defixerit, vehementer turbatur & lamentatur, si quando eas remoueri mandem. Hoc indicium est amatoris imperfecti, qui plus verbis me amet, quàm factis. Verbis quidem confitetur, quòd totum se mihi dediderit, sed cor alienis amoribus distentum retinet, sic prorsus, vt si totum illud iure meo vsurpare velim, & amorem rei etiam leuiculæ ab eo excludere, ilico commoueatur & insurgat. Multi iactant se amare me, sed ego eorum tantùm rationem habeo, qui amant opere & veritate. Non lingua, veros & germanos amatores facit, sed opera ex pio corde profecta.

Superest nunc exponere tibi, quis religiosus mihi perfectè seruiat. Is, inquā, perfectè seruit, qui ex amore mihi seruit, licet non magnis operibus illū demōstret. quicquid enim amore mei fit, magni facio, & copiosè remunerabor. Pluris facio opus bonum, licet exiguum, ex ardenti amore profectum, quàm magnum ex amore mediocri ortum. Nonnulli ingenti labore se fatigant, sed modico, vel etiam nullo suo lucro cò quod actiones, quantumuis bonæ, quæ sigillo caritatis obsignatæ non sunt, ad me non perferantur, & ideo mercede destituuntur: si autem paruo sigillo munitæ sint, parua etiam mercede afficiuntur. Alij, vt mihi seruiant, suis inhiant commodis; quorum cum spes exigua affulserit, mox manum à consuetis seruitij diuini laboribus retrahunt, & causam in corporis vel animi imbecillitatem reijciunt, sed reuera nulla alia re deterrentur, quam voluntate propria, & speratorum cōmodorum absentia. Perperam seruit, qui sua in seruiendo commoda quærit. Neque enim huiusmodi mihi, sed sibi seruiunt, ac proinde frustra à me expectant præmium. Qui nō vult amore mei incommodare sibi, neq; seruus meus est, neq; serui nomine eum dignor. Bonus ser-

seruus non reformidat aduersa perpeti pro domino, quia hoc est esse seruum. Mat. 24.

Scriptura mea enuntiat, seruum debere esse non modo fidelem, sed etiam prudentem. Accommodare enim se tenetur ad voluntatem & mores domini, non autem efficere, vt dominus se accommodet ad suam. Non potest seruire alteri, qui suo tantùm vult viuere arbitrio. Multi religiosi in religione sua sorte malè contenti viuunt, quod non mihi sed illis imputandum. Nam nimio amore sui excæcati ijs in locis versari, eaq; munera obire volũt, quę illis collibuerint, non quæ regula vel obedientia præscripserit; & si eorum palato non fiat satis, indignantur, & angusta via deserta, ingrediuntur latam huius sæculi, & inconstantię suæ causam in alios detorquent. Subditi nõ est deligere in religione vel locum, vel officium, sed superioris parere ordinationi & mandato. Seruus prudens id tantùm laborat, vt Domini sui voluntatem rectè percipiat, & si quid imperatum fuerit, sedulò & libenter exequatur. Nunquam autem dicere audet. Hoc illuduè officium mihi conuenit, iste locus arridet; hæc exercitatio, & non alia placet. Id enim esset vsurpare officium Domini & non serui, turbationem

quærere, & non quietem. Vnde enim tibi constat hoc illuduè exercitium saluti & non exitio futurum? Vnde scis te in loco quem delegisti tentationum expertem fore? Quare seruus prudens consultius expectat, donec à Domino intelligat, vbi & quo in genere debeat suam collocare industriam. Et quamuis aliquando cogitet, hoc illuduè officium sibi salutare futurum, tamen non flagitat illud sibi committi, quia nescit an ad illud præstandum sit idoneus. Superioris siquidem non autem subditi est iudicare, sit nec ne idoneus. Non satis est officium esse bonum & salutare tibi, sed præterea opus est vt tu sis bonus & aptus ad gerendum officium.

Quod religiosus magnifacere debeat suam vocationem.

CAPVT III.

DOMINE, plus æquo insipiens & vecors forem, si meam vocationem nihili facerem, quam non ambigo inter cælestia dona ab immensa tua clementia profecta, numerandam: nimis quoque ingra-

ingratus existerem, si diuinæ maiestati tuæ non continenter agerem gratias, quod citra omne meritum meum dignata sit misericordes oculos suos in me conuertere, & inter tot hominum myriades me in sanctam religiosorum familiam adsciscere. Ita prorsus est fili, magni debes vocationem tuam facere, non solùm quia meum donũ est, verùm etiam quia illud consecutus es, cum non promeruisses, immò cum peruersis anteactæ vitæ moribus iram diuinam prouocasses. Si verò nihili tam singulare amorisque pleniſſimum beneficium pendas, præter pœnam, quæ tantæ ingratitudini debetur, dignum reddis te, vt omnibus donis & gratiis tibi collatis spolieris. Indignus beneficio est, qui illud aut beneficij loco non agnoscit, aut respuit.

ADHÆC, cum certum & indubitatum sit inter res quas habes, nihil precioſius esse anima, & inter negotia maximi ponderis, quæ tractas esse illud, de eiusdem animæ salute, liquidò consequetur in summo precio habendam vocationem eam, cuius beneficio ad salutẽ illá peruenitur. Ille autem magno in precio vocationẽ suã habet, qui illam amat, & intimo affectu admira-

tur & complectitur. Neq; id satis est, (nam ingrati nomen non effugit, qui licet magni beneficium faciat, tamen obliuiscitur benefactoris) sed ad cauendam ingrati animi notam, opus est corde, lingua, & factis gratiam rependere.

Si deinde consideres, vnde te vocarim, iniuriam tibi faceres, si tantum beneficium floccifaceres. Euocando enim te ex mundo, ab intricato & periculoso te vindicaui labyrintho, in cuius ambages, quo quis lõgius se immiserit, hoc exitum sibi magis intercludit. Videmus siquidem miseros huius mundi amatores, alios vel modico ambitionis & vanæ gloriæ fumo afflatos, haud secus aspirare & decurrere ad honores & dignitates; quàm si à furiis infernalibus exagitarentur. Quoties hic fumus in eos tendit efferuntur animo & insolescunt, quoties verò recedit deiiciuntur & mœrent. Cum tamen hic fumus, non aliud quàm sectatorum suorum oculos lacrymis, mentem autem mera amaritudine compleat. Alij voluptatum carnalium viam ingressi, in tantam dementiam se præcipites agunt, vt nihil pensi habeãt vitæ, animæ, summiq; & veri boni sui, quod Deus est, iacturam facere, quo fluxa viliſſimæ carnis illecebra per-

perfruantur. Carnalis homo nullam rerum diuinarum vel notitiam habet, vel gustum, & idcirco facilè solet eas cum breui sensuum voluptatula commutare. Mirum non est cæcum falli. Alij non inuenientes exitum viæ honorum, humanæq; existimationis, si voti compotes non fiant, ira inflammati belluis ferociores euadunt; nam vt minimam vlciscantur iniuriam in mutuas irruunt cædes, totasque euertunt familias & ciuitates. Quisquis crudelis est in animam suam, crudelis est & in alios: nemo enim nocet proximo, qui non prius noceat sibi. Alij matrimonij iugo oppressi sic anguntur, vt mori potius optent, quàm inter molestias vxorias, filiorumque & domesticæ rei curas vitam longius prorogare. Infaustam electionem, similis respondet exitus. Alij in labyrintho oberrant, sed astricti catena aurea, hoc est huius mundi opibus, quibus noctu diuque vilium mancipiorum instar torquentur. Constrictū teneri maximum malum est, non item teneri aut func, aut serico filo, aut auro. Fatuus est, qui affectum omnem defigit in res, quæ in vita molestiam, & in morte dolorem conciliāt. Diuitiæ quæ cum amore possidentur, cum dolore deseruntur.

Amplius noris fili, mundum, ex quo te extraxi, esse scholam, in qua pluris fiunt humanæ leges ab hominibus passionibus deditis conditæ, quàm diuinæ. In ea enim docetur maiori in precio habenda bona caduca & fluxa quæ cum morte intereunt, quàm quæ in alteram vitam nos comitantur, nunquam intermoritura. In ea, quò quis turpius hallucinatur & delinquit, hòc ad delinquendum pronior est, & delicti grauitatem minus agnoscit. In eadem pij & virtute præditi irridentur, scelerati verè & improbi laudantur, ac proinde inferno deterior est, in quo impij omnes vituperantur & puniuntur.

IAM si expendas, quo loco te collocarim, multas inuenies causas, pro vocationis tuæ beneficio mihi referendi gratias. Collocaui te in statu religioso, hoc est, in domo mea, cuius fundamenta cum in humilitate iacta sint, omnes eius incolæ, propter notitiam quam de sua imbecillitate & vilitate habent, gaudent contemptu sui, maluntq; latere, quàm cognosci, reprehendi quàm laudari. Iniurias illatas non vindicant, sed libenter condonant. Ibi in summa pace, & tranquillitate viuitur, ibi meum & tuũ, hoc est omnium dissensionum origo & fons, lo-

cum

cum non habet. Omnes in commune laborãt, mutuaq; conferunt auxilia, qui plus potest, plus facit. alter alteri ministrat, & oẽs Deo. Ibi multitudo est sine confusione, nationum morumq; varietas sine opinionum dissensione; functiones eo ordine distributæ vt vna non turbet alteram, & tamen omnes ad diuinæ maiestatis gloriam pro salutæ animæ destinatæ.

Hvivs domus custodes sunt ternę sorores fide, & summo amoris vinculo inter se coniunctæ, quarum munus est tueri eius inhabitatores ab omnibus vitæ præsentis calamitatibus, & hostium tam visibilium quàm inuisibilium incursibus. Paupertas quidem voluntaria liberat religiosum ab omni conquirendarum, conseruandarũ, augendarũq; opum terrenarum molestia, quæ sic solent diuitum corda pungere, vt ne momentum quidem quietis eis relinquãt. Castitas verò eosdem immunes reddit ab infinitis cupiditatibus carnis, cuius tyrannis voluptatum carnaliũ illecta blandimentis sæpe eo vsq; augescit, vt animam ratione sub iugum libidinis suæ redacta, merum faciat esse mancipium. Obedientia deniq; eximit religiosum periculis, in quæ se coniiciunt illi, qui fastu quodã omnia suo iudicio & arbitratu age-

re, repudiatis aliorum consiliis, volunt, & ita se in dæmonis Domini sui, qui omnis superbiæ auctor est, laqueos induunt. Qui virtutis præsidio septus est, ei nec in terra securitas, nec in cælo præmium deest.

DENIQVE intellige fili religionis scholam è diametro pugnare cum schola mundi. In illa enim ratio colendi DEI traditur per obseruationem diuinorum tam præceptorum, quam consiliorum. In illa breuissima, securissimaque ostenditur via, qua finem, ad quem conditus es, assequare. In eadem panduntur fraudes & laquei à Satana ad irretiendas animas & in inferni barathrum præcipitandas collocati. Huius ego scholæ supremus sum Magister & Rector, qui omnibus per internas inspirationes semitam perfectionis demonstro. In auditoribus scholę huius informandis nullum seruo personarum discrimen. Nam non habeo potiorem nobilis rationem, quàm ignobilis, diuitis, quàm pauperis, quamuis maiore amore complector eos, qui practicè operibus ipsis declarant, quàm probè humilitatis, mansuetudinis, obedientiæ cæterarumque virtutum perceperint lectiones, quas cum vitæ exemplo, dum inter vos vixi, exposui, tum post discessum meum

meum Euangelistis meis, qui eas fideliter descripserunt, dictaui. Bonus discipulus non est, qui non conatur imitari Magistrum.

Quantopere Deum offendat religiosus, qui parui facit vocationem suam & religionem.

CAPVT IV.

QVOCVNQVE me verto, Domine, causas timendi inuenio. Si enim perpendam beneficium vocationis ad religionē, deprehendo tam nobile esse & eximium, vt imparem prorsus me fatear reddendis pro eo gratiis. Si in me oculos conuertam, tantam virium imbecillitatem & inertiam offendo, vt vehementer metuam, ne ingrati animi labem incurram. Deinde maiestatis tuæ magnitudo me pudefacit, tanta enim est, vt illi fieri satis non possit, nisi infinito quodam amore & cultu tui, quantum præstare ego neque possum, neque valeo. Quis ergò non extimescat? Non dubium est, fili, beneficio singulari te affectum, quando te ex procelloso mundi Oceano ereptum in tranquillum religionis portum transtuli. Certum quoque est ex beneficio

nasci obligationem, eoque maiorem, quo beneficium maius extiterit. Verùm idcirco timendi causam iustam non habes. Ego enim sum, qui omnibus congruentem impertio gratiam & vires vt suæ obligationi satisfaciant; modo ipsi non torpeāt, sed industriam quoque suam, quantam possunt, conferāt. Et priscus meus mos est, vt potiùs in præstandis beneficiis sim liberalis, quàm in exigendis obligationibus seuerus. Nec est, quòd formidinem vel pudorem tibi iniiciat maiestatis meæ immensitas, modo tu partibus tuis non desis in me amando, colendoq;, non quantùm mea dignitas postulat, sed quantum tuæ vires ferunt. nunquam enim plus ab homine exegi, quàm possit. Iure autem timere potest, qui dum facultas est, non facit quod debet.

TIBI quidem vna tantum res magnopere pertimescenda est, nimirum vt non offendas lapsu grauiore me benefactorem tuum, qui te ex singulari gratia ad tam sublimen vitæ sanctæ statum euexi, ac porrò paratus sum prouehere longius, si te ipse non impedias. Is autem religiosus me inprimis offendit, qui existimat se in mundo sanctiorem vitam instituere posse quàm in religione ac proinde diuinæ voca-

vocationis suæ beneficium flocci facit. Qui enim in domo mea exiguum mihi honorem & cultum defert, maiorem certè non deferet in hostium meorum ædibus. Luculenta hæc impostura est, & fons omnis perturbationis. Etenim si quis maiori perfectione mihi seruire posset in sæculo nunquam eum inuitassem ad religionem. Omne enim bonum à me proficiscitur, omnibus veram & solidam opto & suadeo perfectionem, accurateque perspectum & exploratum habeo, quid cuique ad salutem consequendam magis proficuum sit & necessarium. Religiosus non debet oculos coniicere in illud, quod sibi magis arridet, & alteri facilè, tanquam præstantius, anteponere, sed quod mihi placuerit.

Illi quoque grauiter me offendunt, qui cùm in religione non omnia pro suo arbitratu obtinent, vel incommoda aliqua perferunt, facilè obmurmurant, & quasi dolentes se deseruisse sæculum, vitam religiosam difficilem & asperam existimant. Haud secus affecti fuêre nonnulli filiorum Israël cum AEgypto excessissent. Simulatq; enim pristinis cõmodis destitui cæpere, duriores-que itineris sustinere labores, obmurmu-

rarunt,

Exo. 16. rarunt, ac cæparum ollarumque Ægyptiarum memores de reditu cogitarunt. Ego certe eos non vocaui ad quietem, sed ad laborem, nec addixi illis recreationes, & magna vitæ commoda, sed inde à primis initiis sedulò inculcaui multa pro Christo esse toleranda, & mortificandam carnem cum concupiscentiis eius, quam conditionem illi probarunt, & receperunt se id facturos. Quam ergò querendi causam habent? Ac vt nihil horum factum fuerit, si Dominus ipsorum tanta pro ipsis perpessus est, quid magni facturi sunt, si ipsi quoque, cum serui sint, aliquid patiuntur pro Domino: Religiosus, qui reformidat aliquid pati, perdit præmium; & quoniam necessariò multa toleranda sunt, si geminetur labor & afflictio, onus intollerabilius reddit.

Alii religionem matrem suam idcirco paruifaciunt, quod arbitrentur, non se religioni, sed contra religionem ipsis obligatam. Sed halucinantur, si enim rem penitius expendant, deprehendent se plurima à religione beneficia accepisse, pauca verò, vel nulla in eam contulisse. Nam esse religiosum, & Dei seruum, tam nobile Dei & religionis donum est, vt meritò omnibus operibus bonis quæ pro religione facta

sunt,

sunt, sit anteponendum. Nulla siquidem in mundo terrena dignitas est, quæ exæquari cum dignitate vitæ religiosæ possit. Vilis & ingrati animi argumentum est, si religiosus occupet se potius in perpendendis commodis quæ in religionem contulit, quàm quæ ab ipsa accepit.

PRÆTEREA non parum offendit me religiosus ille, qui nihil pensi habet, quemadmodum talentum suum à me concessum expendat: hoc ipso enim declarat se illud vilipendere, suoque muneri, cum possit, nolle facere satis. Quàm multi sunt, qui cum magna mea voluptate exercitia quædam tractare possent in animarum subsidium, sed quia animaduertunt se non posse ea perficere tantò applausu, quantò nonnulli alij, omnino prætermittunt. Nonne hæc est ambitiosa superbia? Nonne hoc est talentum ad quæstum faciendum à me datum in terram recondere? Non me latere potest, quid cuique vtile sit & salutare, & ideo aliis quinque talenta, aliis duo, aliis verò vnum impertio. Et licet vno talento negotiari apud homines non tantum mereatur applausum, quantum negotiari quinque, tamen apud me non est ita; ego enim non considero, quantum quisque negotie-

gotietur, sed quàm benè & studiosè. Quod si negotiari plurium talentorum beneficio cederet in multorū salutem ad ampliorem mei nominis gloriam, opus laude dignum foret, sed id est quod reprehēdo, multos idcirco plurium talentorum desiderio teneri, magnarumq; negotiationū, vt inde maiorē apud homines admirationem & gloriam aucupentur, mihi verò, licet omnium bonorum auctori vel nullum, vel exiguum locum relinquunt. Non sic olim egerunt dilectissimi mei serui, qui sibi imperfectiones & lapsus, mihi verò bonorum suorum operum fructum attribuerunt, ac vt omnium laborum laudem & gloriam in me transferrent se seruos inutiles esse, & dici voluerunt. Laus enim operis eximij, non in instrumenta, sed in artificem redundat.

Fili, ex vocationis, vel religiosæ professionis contemptu, & aliud malum nascitur, nempè torpor in assequendo vocationis suæ fine, & obseruandarum regularum, propriiq; instituti iucuria. Quo vitio tantopere offendor, vt compellar quoq; in præsenti vita in tales animaduertere. Ego illis corporis valetudinem, vires, ingenium, omniaq; præsidia naturalia & spiritalia abūdè subministro, vt alacriter in pietatis cursu

semel

semel inchoato progrediantur, ac ad finem prestitutum tandem perueniant; si verò illi omnibus his posthabitis & neglectis nullum ex bonis operibus fructum colligant, quid mirum est, si nonnunquam instar ficus maledictæ, frondosæ quidem sed omni fructu destitutæ exaresçant & deficiant? Arbores, quas ego in religionis horto plantaui perpetuò debent bonorum operum fructum producere, alioquin tanquam inutiles, maledicendæ, & in gehennæ ignes vbi exaruerint, proiiciendæ. Quisquis enim non operatur bene, dum potest, non euadet facilè pœnam, cum volet. *Mar. 11.*

De Tentationibus, & periculis deserendi vocationem.

CAPVT V.

FILII, donum Vocationis ad vitam religiosam gemma preciosa est, quæ non reponitur in terra, nec ab amicis obtinetur, nec pecunia comparatur, sed de cælo à Patre luminum descendit: tantique precij est & valoris, vt nihil in hac vita sit, quod exæquari illi possit. Proprietas huius preciosæ margaritæ admiratione dignissima est. Nam suo splendore religiosis demon-

demonstrat omnia præcipitia, & discrimina, quæ in præsenti vita existunt, quæ quoniam sæculares homines huius gemmæ luce destituti videre nequeunt, idcirco sæpenumero grauiter impingunt. Detegit quoque omnes imposturas, tentationes, & insidias, quibus salutis humanæ inimici ad illaqueandas animas vtuntur. Adhæc tam illustris hic splendor est, vt penitret vsque ad cor Dei, religiosisque diuinam voluntatem circa ipsorum statum patefacit, in cuius diuinæ voluntatis executione perfectio religiosa consistit. Qui lucis huius beneficio non vtitur in itinere salutis prosequendo, non ambulat securus, & si non labitur, saltem frequenter impingit.

Virtus quoque huius nobilis gemmæ non minoris est precij, quàm splendor. Magnum enim robur addit in cælum, vnde & venit, tendentibus, aduersus hostes visibiles & inuisibiles, qui patriæ cælestis iter intercludere conantur Animat etiam religiosos ad expugnandas omnes difficultates, quæ in viam spiritualem incidunt. Habet hæc gemma & aliam conditionem, quod, quò diutius portatur & vsurpatur, hoc pulchrior & perfectior euadat Nunquam à religioso cui semel donata est, auelli potest-

nun-

nunquam perdi, nisi ipse suapte sponte eam abiicere velit. Si quis ergo religiosus hanc gemmam cælestem parui faceret, nonne seuera castigatione dignus foret? Et nonne iniuria magna afficeret benefactorem, si eius virtute & efficacia non vteretur. Nec enim minus ingratus videri debet, qui beneficio sibi præstito non vtitur, quàm qui non agnoscit, nec æstimat. Quanquam fatendū est hanc gemmam, vti munita est tribus votis, quæ eam custodiunt, ita septam ternis immanibus hostibus, qui continuò laborant, vt eam surripiant. Primus est mundus, qui eam stimulat ad sectandas opes & vanitates. Alter caro cum cupiditatibus suis & illecebris sensualibus. Tertius dæmon cum superbis suggestionibus ex amore proprio natis.

FILI mi, ne tanti thesauri iacturam facias, tria tibi sunt necessaria. Primò vigilantia & circumspectio, quia in agro dormienti facilè superseminantur zizania: quiq; cautus non est, facilè se induit in hostium laqueos. Secundò affectio singularis erga hanc vocationis tuæ margaritam, vt eam impensius diligas, quàm vitam: quo enim quid plus diligitur, hoc studiosius custoditur. Hæc autem dilectio nasci debet ex co- Matt. 13.

gnitione bonitatis eius & virtutis. Et quia tam excellens est, vt te perducat ad Deum, æternamque felicitatem, nihil tibi debet carius esse illa, sicut nulla res neque in cælo, neque in terra reperitur, quæ sit Deo aut salute æterna præstantior. Tertiò necessarium est, vt sic infigas hoc margaritum cordi tuo, vt nulla nec ærumna, nec voluptate, nec creaturæ vllius respectu sinas tibi illud eripi, aut si surripere quisquam velit, simul necessariò cor tuum surripiat.

Præter hæc sunt alia, quæ incommodant religioso, eumque disponunt ad euertendam diuinam vocationem suam. Inprimis enim totis viribus tibi enitendum est, vt prauos habitus de sæculo allatos extirpes, antequam illi te exturbent de statu religionis. Nam cum instar pestilentium stirpium in terra, ita in animi penetralibus insideant, in tantũ augescent, vt tandem sanctum vocationis semen suffocent, vt huius cælestis gemmæ splendorem obscurẽt. Quisquis in religione retinet peruersos sæculi habitus, satis indicat se non ex toto, mundũ reliquisse. Equus post fugam è stabulo raptans funem, quo fuerat alligatus sæpè impingit, facilè capitur, & in stabulum reducitur:

citur : sic religiosus fuga elapsus ex huius mundi stabulo, si pristinos mores secum trahat, frequenter offendit, tentationibus facilè cedit, & in stabulum mundi vnde fugit reuocatur. Malè fugit, qui fugit ligatus.

Illud quoque non parum nocet religioso, & paulatim de statu, in quo eum collocaui, deiicit, leuiora errata & defectus flocci facere, quę sensim religiosum transuersum agunt in laxam & noxiam quandā vitæ libertatem, cum qua cohærere non potest verus Vocationis spiritus, qui æquè in paruis ac in magnis rebus suam quærit obseruantiam. Nunquam esse potest securus, qui dum facultas suppetit, non se liberat ab hostibus quantumuis pusillis. Domus antequam concidat, primùm exilia quædam indicia ruinæ futuræ prodit, quibus si Dominus tempestiuè non occurrat, tandem tota corruit. Sic religiosus, si à primis initiis non medeatur modicis, qui in ipso deprehenduntur defectibus & lapsibus, tandem totam Vocationem suam labefactabit, constrictusq; huius mundi vinculis miserabilē vitam extra domū Dei ducet. Qui non medetur vulneribus tempestiuè, dum opus est, post maiore cum suo detrimento pœnitudine ducitur.

Iacturam Vocationis suæ faciunt & illi, qui neq; tentationes, neq; res alias suo superiori patefaciunt. Fur, simulatq; proditus est, fugit: dum verò latet, labori non parcit, donec aliquid surripiat: sic religiosus, quàdiu superiorum sua celat, occasionem præbet infernali prædoni abripiendi pretiosam Vocationis gemmam. Qui medico nō aperit qualitatem sui morbi, aut ignorat eius grauitatem, aut nihili facit curationem. O quantum se fallit, qui nimium sibi præfidens arbitratur se esse in vocatione securū. Non aliundè hæc præsumptio nascitur, quàm quod non satis suam expendat imbecillitatem, & quis sit. Nam quo quis accuratiùs seipsum circumspicit, hoc amplius extimescit, minusque suis viribus fidit. Atq; hoc optimum antidotum est, ad parandum contra omnes tentationes robur. Qui verò plus æquo suæ confidit industriæ, inchoato conflictu facilè terga vertit, & religionis suæ vexillum deserit. Religiosus, quo plus sibi præfidit, minùs facit, quia præsumptio est filia superbiæ. Qui autem timet, plus facit, quia timor sanctus est filia humilitatis, quæ ad benè operandum inclinat.

ERRAT insuper religiosus, & à periculo deserendæ vocationis non longè abest, qui

existi-

existimat se plus boni præstare posse in sæculo, quàm in religione. Qui enim inter bonos, & tot bonorum exempla, ac in loco sancto bonus non est, qua ratione præstabit bona in hoc sæculo, nequam inter malos, vbi tot mala quotidie in oculos incurrunt exempla, & tot occasiones affluunt malè viuendi? His fraudibus vtitur dæmon, vt religiosum incautum in rete suum pertrahat. Etenim, vbi homini persuaserit in sæculo plura præstantioraque opera fieri posse, mox suggerit non magnifaciendum statum religionis, ac tandem à vocatione omnino depellit. Specie recti decipere dæmonis proprium est, qui nunquam in religiosos hamum eiicit, nisi apposita esca.

Nec minori in discrimine versantur illi religiosi, qui per incuriam & socordiam paulatim in spiritu, meoque seruitio refrigescunt, & licet hoc frigus in se animaduertant, tamen auertere negligunt. Quando ægri pedes, aliaque extrema corporis membra ita refrixerunt, vt calefieri nequeant, signum est, eum vicinum esse morti. Sic religiosus frigidus, si operam nullam nauet vt recalescat in spiritu, non longè abest à morte spirituali, & periculo vitæ religiosæ perdendæ. Qui non vult iuuari, dum potest,

quomodo ſecurus erit de auxilio omni tempore obtinendo?

Non ſatis eſſe religioſo, quod à Deo ad religionem vocatus ſit, ſed præterea opus eſſe, vt ad ſuæ vocationis perfectionem contendat.

CAPVT VI.

DOMINE, toto corde tibi gratias ago, pro ineffabili gemma, quam mihi dignatus es de cælo mittere, quando miſertus mei ad ſanctam religionem me vocaſti; omnemq; lætitiam & conſolationem ſpiritualē, quā ex eo, quod huic religioſo ſtatui nomen dederim, percipio, tuæ bonitati & clementiæ acceptam fero. FILI, ſi hoc tantum, & nihil præterea aliud præſtas, officio tuo non facis ſatis. Niſi enim ſupra illa nitaris probis ſanctisque actionibus vocationem tuam perficere, loco præmij, pœnam hæreditabis. Eſſe vocatum à me ad religionem, & habitum religioſum geſtare accumulant pœnam, niſi tot tantisq; beneficiis meis nō verbis ſed operibus etiam aliquid repēdas. Qui poſt acceptā à Deo dona negligit in virtute facere progreſſū, non ſolū notam ingratitudinis incurrit, ſed etiam

diui-

diuinis manibus quasi vincula iniicit, ne amplius quicquam largiatur.

Homines ex amictu externo coniecturam sumunt, sit nec ne aliquis religiosus: ego autem iudico ex interno. O quot commorantur in monasteriis & religiosũ habitum gerunt, qui religiosi non sunt, vt sunt omnes illi qui totum affectũ suum religiosæ vitæ, virtutumq; sanctarum studio non dediderunt, sed partim DEO, partim mundo seruiunt. Contra, multi in mundo habitum sæcularem quidem gerunt, sed affectu verè religiosi sunt, & pietatis exercitia sectantur. Nec habitus, nec locus verè religiosum facit, sed cor. Opera autem foris eundem demonstrant.

Quid prodest militi præclaris instructũ esse armis, si, quo tẽpore ex præscripto belli ducis cum hoste manus conserendæ sunt, illis non vtatur? Frustra arbor nullum reddens fructum sustinetur in horto, cum alio fine plantata non sit, quàm vt reddat. Ego omnes religiosos in meã militiã adscripsi, arma suppeditaui, vt illis conuenienter meæ voluntati vtantur. Quisquis ergò nomine religiosi gloriatur, sed factis amorem suum erga me nullum declarat, nec secundùm suæ vocationis spiritum fructus

ſpirituales producit, is hominis religioſi munus minimè præſtat.

O quantum hallucinatur ille, qui arbitratur ſe bellè ſuo officio functum, quod religionis ſtatum inierit, & in eodem hucuſq; in eo perſtiterit, crebro commemorando annorum numerum, quibus in eo vixit, & non expendendo quàm negligens in piis operibus præſtandis fuerit, quamque exiguum fructum ex ſuis laboribus collegerit. Non anni beatum reddunt religioſum, ſed bona opera, & virtutum exercitia. Gloriari de diuturnitate tẽporis in religione tranſacti, & vacuum eſſe virtutibus earumque perfectione, laus non eſt, ſed vituperium. quemadmodum non ille ſcholaris, qui multis annis ludum litterarium triuit, vllam laudem meruit, ſed qui omni genere doctrinarum in illo excultus fuit. Si animo reputares, te de vniuerſo temporis interuallo, quod in religione nullo fructu tranſmiſiſti rationem coram tribunali meo redditurum, non gloriareris, ſed plangeres potius, quoniam arboris infructuoſæ inſtar, alterius locum qui cum magno fœnore mihi ſeruire poterat, occupaſti.

HAVD diſſimili ratione ſe in fraudem inducit, & is, qui religionis ianuam ingreſ-

ſus

sus satis esse opinatur, si diuina mandata non pręuaricetur, nec vlli homini sit offendiculo. Satis siquidem hoc non est, nec ea voluntate ego sum contentus. imò qui hic sistendum putat, non parum me offendit. Nam desinit verus & genuinus esse religiosus, quando incipit nolle fieri melior. Religiosus bonus nunquam iudicat se ad perfectionem attigisse : nec vnquam dicit. Nunc sufficit. Nouit enim in spirituali via non progredi, esse quoddam regredi. Voluntatis meæ est, vt religiosus conuenienter suo instituto se mortificet, & in iis omnibus strenuè se exerceat, quæ legibus religionis præscribuntur, vel mandantur. Id si facit vocationem suam perficit, & in hunc finem eum ad religiosum statum vocaui. Quis verò non animaduertit, eum vel parum vel nihil efficere; qui dum copiam habet multa bona pro anima sua, & religione sua præstandi, data opera omnia prætermittit ? Quis non videt à veritate aberrare eum, qui existimat se suo instituto satisfacere, si nihil velit in religione designare mali? Dic mihi, quæso, quid mereatur nauta ille, qui conductus ad conferendā suam in nauigatione operam, non aliud sibi faciendum putaret, quàm vt ne vlli in naui gra-

uis vel moleſtus eſſet: quando autem remigandum foret, velaue pandenda aut contrahenda, vel etiam cum pyratis dimicandum, complicatis manibus ſederet, & cæteros ſpectaret. nonnè, inquam, ille meretetur, velut ſeruus inutilis non dico naui exturbari, ſed etiam præcipitari in mare? Haud ſecus eueniet religioſo, qui in religionis nauem non alia conditione eſt receptus, quam vt in religionis functionibus ſe exerceat, nec vnquam locum otio, quod in omni congregatione ſemper extitit ſcandaloſum, ſubminiſtret. Neque dici poteſt otioſum nihil mali facere, quia ſatis mali facit, qui non facit quod debet. Hic ergò ſi è religione non exterminetur, nec in huius infelicis ſæculi mare eiiciatur, ſicut meruit, non poterit tamen ſeueram diuinæ iuſtitiæ tandem euadere ſententiam. Supplicium, quod differtur; non aufertur, nec ſemper leuiùs redditur.

Religioſum debere attendere ad ea, quæ ſua & non alienæ religionis ſunt propria.

CAPVT VII.

FILI, ego ſum, qui ab initio meam Eccleſiam gubernaui, & adhuc guberno: quan-

quandoquidem illa continenter pro honore & gloria mea tuenda depugnat. Et quanquam diuersis constat partibus, tamen ita illas in vnum copulaui quasi corpus, vt exercitum efficiant ordinatissimum sub crucis vexillo feliciter militantem. In hoc autem Ecclesiastico exercitu principem locũ tenet religiosorum agmen, cuius munus est armorum spiritalium inuicto robore expugnare regnum cęlorũ. Vtitur hoc agmen pro religionum varietate diuersis insignibus, omnia tamen a me totius exercitus Imperatore diriguntur. Quisq; etiã religiosus sub eo signo, cui primum nomen dedit, vsq; ad mortem merere debet, & exercitare se in iis, quæ sui ordinis vel religionis sunt propria. Quo mutuum conducit, si benè ad suum ordinem sit affectus. Miles enim qui affectus est ad suum insigne, non facilè illud mutat, vel deserit, sed, quando opus est, etiam cum discrimine capitis, pro eo decertat.

Quamvis omnes religiones cõmuniter eo colliment, vt subditos suos in meo seruitio reddant perfectos: quælibet tamen propria quædã & particularia habet exercitia, in quorũ vsu suos perficere tenetur. atq; hic est finis & scopus specialis, quẽ spectare debent omnes,

omnes, qui eam sectantur. Verbi causa. Qui eam religionem amplexi sunt, quæ profitetur vitam solitariam, ab hominum consuetudine remotam, vt est eremitica conniti debent, vt in victus & amictus seueritate, in rerum cælestium contemplatione, & laudatione diuini numinis perfecti euadant. Qui verò religionem inière, quæ profitetur vitam actiuam, ad conferenda scilicet in proximos corporalia vel spiritualia subsidia, in exercitatione vitæ actiuæ propria proficere debent, hoc est, in exhibenda caritate proximis, quantò possunt studio & industria, nulla commodorum suorum, sed puræ tantùm gloriæ meæ ratione habita, scientes, quicquid amore mei proximo fecerint, id mihi ipsi facturos, meque eorum mercedem fore. Idem faciendum iis, qui complectuntur religionem contemplationi rerum diuinarum vacantem, vt eo se arctius coniungant cum conditore suo Deo, aut eam, quæ contemplationē cum actione miscere solet, vt ferè sunt ordinum Mendicantium religiosi.

Hæc verò exercitia particularia nec institui queunt benè, nec diuturno tempore continuari possunt, nisi, qui illa vsurpant ad eam vitæ perfectionem contendant, quæ

omni-

omnibus religiosis est communis, hoc est, nisi studeant propriam voluntatem abnegare, sensus mortificare, & seipsos contemnere, his enim virtutibus tanquam fundamentis speciales & propriæ singularum religionum exercitationes nituntur. Nam qui in se bonus est & perfectus, facilè potest aliis adiumẽto esse, vt boni efficiãtur: quod non commodè poterit, si ipse bonus non fuerit. Qui enim nullam curam gerit propriæ perfectionis, quomodo eam promouebit in aliis? Qui sibi nequam est, cui bonus erit? *Eccl. 14.*

O quam malè rationem instituti sui intelligit religiosus, qui potiùs alienæ, quàm suæ religionis exercitiis delectatur. Idcirco enim diuersis religionum statibus alia atq; alia dona & charismata impertij, vt vnusquisque suo ministerio rectè fungatur. Vndè qui spiritu, donouè gratuito propriæ suæ religionis ornatus non est, non potest quoque eius ministerio facere satis. Si voluissem religiosum alio distineri exercitio, ad aliam quoque vocassem religionem, eiq; gratia illius propria donassem. Cæterùm si eum vocaui ad hanc, non conuenit vt ille manum iniiciat in aliam. Qui enim suæ religionis functiones deserit, & adsciscit alienas,

nas, nec vni nec alteri faciet satis. Qui solitariam vitam profitetur, non parum facit, si attendat sibi ipsi, ac prudenter agit, si aliis iuuandorum proximorum curam relinquat. Quocirca mihi vehementer placet religiosus ille, qui proposito sibi scopo, officiisque religionis suæ, eò omnes cogitationes suas, industriamque dirigit: ac vt tandem assequatur, omnes difficultates superare conatur, fugiendo quæ impedire, & amplectendo quæ promouere ad eundem scopum obtinendum possunt. Non parum facit, qui nititur præstare, quod ex officio debet, & professioni suæ congruit.

Iam verò & alius error in quibusdam religiosis notatus est, qui à conuersionis suæ primordio præstituunt quidem sibi peculiarem aliquem finem, sed religioso pectori parum congruentem, nempe vt in magnos Philosophos, Theologos & Concionatores euadant, eoque omnes cogitationes & studia per fas & nefas conferunt. Dici non potest, quàm noxium sit hoc propositum; vt quod religiosæ & sanctæ vitæ obliuionem, regularum propriique instituti contemptum inducat, ac denique seminarium sit infinitarum vanitatum & turbationum. Si enim huiusmodi homi-

nibus

nibus superior quippiam imperarit, quod parum cum hoc ipsorum scopo consentiat, ilico renuunt, conqueruntur, affliguntur. Si autem superior, ne eos contristet, sinat eos eum cursum tenere, quem instituerunt, ecce mox sequitur pulcherrimi ordinis dissolutio, ruinaque ipsorum & religionis: nihil enim pernitiosius est, in religiosa vita, quàm subditis relinquere potestatem faciendi quicquid collibuerit. Vbi non est obedientia & subordinatio necessariò sequitur confusio & dissolutio. Et crebriùs iam dixi, non posse meum esse discipulum, qui non posthabita propria voluntate abneget seipsum. Ego sum via, ego sum dux. Qui non sequitur me, quo plus progreditur, hoc longiùs à meta recedit. Hanc viam tenuerunt omnes religiosi, qui nunc in cælo summa fælicitate & gaudio perfruuntur. Hi enim principio amplexi sunt, quod proprium erat vocationis ipsorum, deinde verò in reliquis passi sunt, se à superioribus suis, vices meas gerentibus, dirigi & gubernari. Et qui aliud agit, seipsum fallit & perdit.

ERRANT deniq; & illi omnes, qui proprium religionis finem, eiusque ministeria nituntur accommodare ad se, suamque voluntatem, non autem, vt deberent, se potiùs accom-

accommodant illi. cuiusmodi sunt, qui ministeria illa vsurpare volunt, & quando, & quo modo ipsi iudicarint conuenire, ac tantum impendere tempus, quantum placuerit. Hæc via directa non est, cum enim ipsi sint religionis membra, conuenit vt accommodent se toti corpori, hoc est, religioni, & non contra, religio ipsis. Religiosum, non accommodantem se ei, cui debet, arrogantia tandem transuersum aget, vbi minimè cogitarat.

In quo consistat, esse verum & perfectum religiosum.

CAPVT VIII.

DOMINE, quoties considero propositũ crebriùs à me factũ, firmamq; voluntatem te toto pectore amandi, tibique omni affectione toto vitæ meæ tẽpore seruiendi, me arbitror esse religiosum, & quidem verum ac germanum, licet verear, ne fallar. Quando enim in memoriam reuoco, quæ à maioribus meis acta sunt, quanta amore tui perpessi, quos labores pro consequenda virtute impenderint; & è contrario perpendo, quam parum ego hactenus pro assequenda virtute laborarim, quàm exiguas

guas afflictiones pro tui nominis gloria sustinuerim, non videor mihi esse vel perfectus, vel verus religiosus.

FILI, permulti sunt voluntate, & opinione sua religiosi, ac etiam veri & perfecti religiosi, sed reipsa & factis sunt pauciſſimi. Nam perfectio, est quædam omnium virtutum complexio, quæ certè reperitur in pauciſſimis. Nonnulli sunt qui nomen perfectionis se putant assecutos, si recitent tot psalmos, vel rosaria, si crebriùs per hebdomadem ieiunent, si cilicijs vel flagellis corpora affligant, & si hæc non perfecerint, existimant se longiùs à perfectionis laude abesse. Bonæ & laudabiles sunt omnes dictæ actiones: verùm in iis neque summa vitæ spiritualis, neque religiosi hominis perfectio sita est, sed in veris solidisque virtutibus animæ inhærentibus. Externæ autem actiones illæ in quibusdam sunt quasi media & instrumenta idonea ad consequendum spiritum, veramque pietatem, si modò cum moderatione, vti congruit inchoantibus, vsurpentur. In aliis verò sunt effectus & fructus spiritus, seu perfectionis spiritualis, vt in proficientibus & perfectis, qui seueritate illa pœnitentiarum carnis lasciuiam coercet, ne insurgere queat in spiri-

tum, & frequentatione precum in amore Dei se accendunt, vt perpetuò cum diuina maiestate coniuncti permaneant. Quanquam in nonnullis quoque externæ illæ corporum exercitationes, si in eis virtutis perfectio collocetur, præbere possunt occasionem ruinæ. vt dum eo vsque subigendo exteriori homini inuigilatur, vt negligatur interior, hoc est, vt animi motus & perturbationes non refrenentur. ac ferè fit, vt huiusmodi homines proprij sint capitis vel iudicij, qui omnium velint esse magistri. Vbi autem non est humilitas, nec potest esse DEI spiritus, nec vera deuotio & pietas. Quare & rarissimè emendantur: difficulter siquidem in veram reducitur viam, qui existimat se hactenùs rectum iter tenuisse. Ac facilius conuertitur manifestus peccator, quàm occultus, qui indiscretas suas actiones, virtutum pallio contexit. Hoc certò nôris, fili, mihi cariorem esse religiosum, qui prauas omnes cupiditates suas coercet, & mortificat, quàm qui laxatis vltrò appetitus inordinati habenis, assiduè ieiunat, defert cilicia, & ad sanguinem vsq; carnem suam diuerberat. Nunquam ad veram incolumitatem perueniet, qui remedium non applicat, vbi malum hæret.

Ergo,

ERGO, vt eximam tibi tandem omnẽ dubitationem, quam habes in hac materia, proponam tibi clarissimũ speculum, in quo veri & perfecti religiosi effigies spectanda se præbeat; cum qua si te composueris, facilè coniecturã feceris, sisnè similis illi, necnè, ac pariter intelliges, quid in te desideretur. Perfecti religiosi insigne est, AGERE & PATI. binis enim his vocabulis vniuersa religiosi perfectio continetur. Agere non aliud designat, quam religiosum verùm ita debere instituere vitam suam, vt satisfaciat officio & muneri quod debet DEO, Superioribus, religioni, proximis, sibiipsi, & aliis rebus creatis. Pati verò probant omnes religiosi actiones: num videlicet eas exerceat ad augendam meam gloriam, an ad promouendum suum commodum: an à vero spiritu, vel potius à prudentia humana originem habeant.

DEO is religiosus satisfacit, qui amans creatorẽ suum super omnia diligenter obsequitur præceptis eius, cosiliisq; Euangelicis. ex toto corde eum magnificat, & in aduersis æquè ac prosperis collaudat, omnia è diuinæ maiestatis eius manu tanquã dona cælestia, acceptat. mauult millies morti occumbere, quàm creatorem suũ etiam in re

minima offendere, aut latum vnguem à diuinæ voluntatis præscripto recedere. Summa, quicquid agit ad gloriam & honorem meum amplificandum agit.

SVPERIORIBVS deindè perfectus religiosus satisfacit, qui ad minimum eorum nutum promptè & alacriter quasi Dei voce audita obtemperat, non tanquam hominibus, sed vt Dei vicariis. Eosdem reueretur & amat, vt Patres & Pastores animæ sibi à me adsignatos, omnes eorum ordinationes actionesque, in bonam partem interpretatur, & si quem contra eos obmurmurantem audiat, modestè eos purgat, & tuetur.

Religioni quoque satisfacit, si faciat, quod carissimæ matri præstat bonus filius. qui eam non modò honorat & amat, sed quoties eam aduertit postulare operam suam, non tergiuersatur, sed libenter sese offert ad sustinendum onus, quodcunque illa imposuerit. Lætatur, si benè apud homines audiat, sin malè, eius famam defendere cum modestia conatur. Denique maiorem in modum optat, diuinamque maiestatem obsecrat, vt illa in humilitatis deuotionisque spiritu semper progrediatur.

Erga fratres item, & religiosos bene affectum se declarat, quippe quos intimo amo-

amore prosequitur eorumque bonum, vel malum reputat suum. Benè sentit & loquitur de omnibus. Defectibus singulorum compatitur. ædificare eos nititur etiam in rebus leuissimis, & quoad potest eosdem iuuat maximè in rebus ad spiritum pertinentibus.

Ad sæculares quoque profecti religiosi obligatio se porrigit; quibus satisfacit, si eis, vti suis proximis, æternam, imprecetur felicitatem, & diligat sicut seipsum. Et si animaduertat prauum religiosorum exemplum illis esse noxium, omnem lapidem mouet, ne offendiculum vllum præbeat, immò in vniuersa conuersatione sua conatur bono esse exemplo, & in salute animæ ipsorum procuranda nullis parcit laboribus.

Iam verò bonus religiosus & sibi aliquid, quatenus religiosus est, præstare tenetur & debet, cui debito faciet satis, si cupiditates rationi repugnantes seduló cohibeat, si petulantiam carnis domet, mundum cum suis vanitatibus aspernetur. Si amore mei impulsus in omnibus rebus se mortificet, nec suam gloriam, sed meam aucupetur. Si enim nihili faciat existimationem propriam, iam perfectam sui obtinuerit victoriam.

ctoriam. Deindè, si corpus intelligentiæ subiectum teneat, & non nisi necessaria ei subministret, sic enim animę ad cælũ liberè auolandi locũ relinquet. Breuiter, mortuus sibi & mundo, mihi soli creatori suo viuet.

POSTREMO perfectus religiosis satisfaciet & cæteris rebus creatis, si eas in vsum suum conuertat, quantùm conuenit, & non amplius. Et quoniam probè nouit eas à Deo nobis comissas, quatenus adiumento sint ad finem nostrum consequendum, illas tantùm in vsum suum deligat, quę possint eum ad dictum finem promouere, cæteras autem quæ impedire queant, respuat. Hac enim via & ratione verus religiosus ex creaturis conficere sibi poterit scalam, qua conscendat in cælum.

ALTERVM vocabulum ad insigne hominis religiosi attinens erat PATI. Omnes, dum primum religiosæ vitæ statum ineunt, promittunt se libenter multa perpessuros, sed pauci promissa præstant, ac proindè nec ad perfectionis culmen perueniunt. Hac autem voce patiendi indicatur, religiosum patiendo expurgari & reddi perfectum, nec perfectum quenquam in religione esse posse, nisi multa patiatur. Qua de causa in sacra mea scriptura perfectio comparatur

mon-

monti, quem nemo conscendere potest sine labore & difficultate. Perfectus religiosus, non obmurmurat contra Deum, si ei immittat morbos, persecutiones, aliàsue calamitates, sed pro iis, tanquam donis cælestibus, misericordiarũ Patri gratias agit. Sed nec insurgit in creaturas, dicens. Hic me iniuria magna affecit, ille præter omnẽ rationem mihi litem mouit, iste odio me prosequitur. Verùm, vt patiendi cupidus, cum aduersitas aliqua inciderit, eam pro diuinæ bonitatis fauore amplectitur. Atq; hic est modus è quouis malo eliciendi bonum. Dum religiosus ægrè aliquid propter me tolerat, signum est, quod maiore amore se, quàm me prosequatur.

De defectibus in ternis perfectionem religiosam impedientibus.

CAPVT IX.

FILI, post vulnus primo vestro parenti Adamo olim in paradiso terrestri à Satana inflictũ, oẽs animæ vires & facultates in posteris sic elanguerũt & disturbatę sunt, vt deinceps hominẽ ad lapsũ potius & vitia, quàm ad virtutũ studium inclinarint. Hinc manarunt oẽs difficultates, impefectiones

& im-

& impedimenta, quæ in dies experimur in vita spirituali, quę sic nos in cursu perfectionis perturbant, vt vel prorsus eum inhibeant, vel certè magnoperè retardent.

Qvod ergò lentius in virtutum montem tendamus, in quo perfectionis religiosæ sedes collocata est, principio facit, quod apud animum nostrum non seriò statuamus nos velle, totis viribus superare illum; atque id non aliundè nascitur, quàm quod non efficaciter ad perfectionem aspiremus. Qui enim efficaciter desiderat sanitatem, nihil moratur quamuis medicinam. Hic defectus eiusmodi est, vt perfectionis assequendæ spem omnino præcidat. Qui enim non decreuit tendere ad perfectionem, nec initium tendendi faciet, qui verò initium non facit, quomodo ad finem præstitutum pertinget? Qui autem sic animo affectus est, cum occasionem benè agendi negligat, aut nihil boni faciet, aut certè ad deteriora labetur. O quantam spiritalis lucri iacturã facit religiosus, qui procrastinat ingredi viam perfectionis. In mortis hora procul dubiò hunc errorem rectiùs agnoscet, quàm nunc, quia in accurato illo & extremo conscientiæ examine clarius perspiciet, nullam se causam iustam habuisse studium virtutũ

proro-

protogandi, meraque sua inertia & negligentia illud prætermissum. Atque eò acerbior erit eius dolor & confusio, quò minùs ei hactenus meæ inspirationes subtractæ fuêre, quarum impulsu toties inuitaui, excitaui, & sollicitaui ad perfectionem.

OBSTAT & aliud religioso, quo ægrius ad perfectionem anhelet, quia arbitratur in obtinenda sui victoria, prauisque animi affectibus expugnandis nimiam esse difficultatem. At sicut dilatio sine causa facta, animam deiicit, & plurimum nocet, sic efficax & alacre propositum rei aggrediendæ multum iuuat ad superandam omnem difficultatem. Fili, si tu primus esses inter eos, qui huius militiæ viam ingressi forent, aliquam tui excusandi causam haberes; sed cum tam multi sint, qui licet aliquando victi, tamen tandem victores ad montis fastigium pertigerunt, nullam excusationis vel veniæ causam habes. Ad obtinendum præmium & coronam, non satis est pugnare, sed opus est victoriam ex pugna reportare.

ALIO deindè vitio retardamur ab ascensu dicti montis perfectionis, quod in pede montis arcto quodam vinculo constricti simus. Quisquis autem eo modò constrictus est, mouere se quidem nonnihil

potest, non tamen montem conscendere. Magnoperè fallitur religiosus ille, qui inordinatè ad rem aliquam humanā affectus, existimat se ad perfectionem peruenturum. Cum enim cor affectionis fune illigatum teneat ad rem creatam, necesse erit aut montem subire sine corde, quod fieri nequit, & Deo, (qui maximè quærit cor nostrum) non foret gratum, aut certè vna cum re creata, cui adhæresci: quod certè Deus nequaquam toleraret, qui nunquam passus est vna secum aliquid amari; cum enim ipse per se & naturā sit bonus, vult etiā solus per se amari. Non potest eum amore prosequi creator, qui contra suam voluntatem, amorem transfert in creaturam.

Impedit quoque eundem ascensum nimium onus, quod homo sibi imponit. cum enim viam arduā & difficilem ingredi debeat, quo plus grauatus est, hoc minùs itineris conficit, & nonnunquam in media via hæret, nec progredi valet. Quare religiosus qui se nimis multis negotiis & tricis à vocatione sua alienis implicat, aut exiguum iter faciet versus perfectionis montem, vel in itinere subsistere cogetur quandoquidem robur spiritus imbecille est, via salebrosa & ardua, ac animi facultates à tali pro-

profectione alienæ, vel potiùs in contrarium propensæ. Satis habet religiosus, si suum onus ferat, quod si alienis curis adauxerit, mirum non est, si oneri succumbat, ac sæpenumero eò miseriæ perueniat, vt nec suæ, nec alienæ sarcinæ sustinendæ par sit

Iam nec illud minimum ad montem superandũ impedimentũ est, nimia sui commiseratione moueri. Qui equum habet natura tardum & desidem, si misericordia motus non audet eum vrgere calcaribus, non perueniet certè quò tendit. Non mihi arridet religiosus plus æquo mollis & delicatus, qui ne corpori suo aliquem accersat dolorem, non aspirat, quemadmodũ congruit, ad perfectionem. Miles, cui nimium est cara vitæ vsura, & plus, quàm debet, horret belli discrimina, numerum tantum ordinariè auget, non robur exercitus. Quando enim occasio sese offert fortitudinem declarandi, metu consternatus terga vertit. Non ita fecerunt religiosi, qui in cælo sunt coronati Quamuis enim corpore natura imbecillo essent, illudque omnibus delitiis assuefeciſſent, tamen vt nomen religioni derũt, perfectionis obtinendæ causa magna victus seueritate, aliarumq; pœnitentiarum

asperi-

asperitate illud domuerunt, ac cum laude & merito consecuti sunt, quod desiderarunt. Religiosus qui plus æquo parcit corpori, niminum illud amat, quia verum amandi modum ignorat, instar medici plus æquo clementis, qui sua curatione morbum deteriorem reddit.

De aliis defectibus, & imperfectionibus externis perfectionem impedientibus.

CAPVT X.

FILII, in nonnullis religiosis aliæ inueniuntur imperfectiones & defectus, qui vti non minùs impediunt perfectionem, quàm supra allati, sic mihi quoque non minus displicent. Primus est, quod nolunt ad perfectionem tendere, via trita & ordinaria, sed aliam nouam comminiscuntur, veteribus ignotam. Sed grauiter errant. Cùm enim per se arduum sit & difficile conscendere perfectionis montem, geminabitur labor, si præterea noua via conficienda fuerit. nec aliud quærit callidus humani generis hostis, quàm vt ascendendi conatum accessione noui laboris retardet. Qui viam tritam init, proficiscitur securus, quia qui an-

receſſerunt, ſuo exemplo eius ſecuritatem demonſtrarunt: cuius ſecuritatis certè argumentum nullum habet, qui nouam ingreditur ſemitam. O quanto in errore verſantur religioſi, qui deſerto ordinario ſuæ religionis ſpiritu, ſpecialem alium & peregrinum ſectantur. Hoc enim eſt viam nouam inire, maiore quidem cum labore ſed minore fructu. ferè enim fit, vt tales dum exitum viæ non inueniunt, pudefacti retrò pedem referre cogantur, aut certè in præcipitia incidant. Diuino ſpiritu duci non poteſt religioſus ille, qui non vult tenere iter, quod tenuerunt eius maiores. Ego ſingulis religionibus viam certam & definitam deſtinaui, præſcriptis in eam rem peculiaribus legibus & conſtitutionibus, modoque expoſito, quo quiſque conficere eam poſſit. Qui ergò hac via poſthabita, ingreditur aliam, non obſcurè indicat me non ſatis ſapienter religiones ſingulas inſtituiſſe. Atq; hic elucet inſignis impoſtura tenebrarum Principis, qui ideò abducit incautos religioſos à via communi proprij inſtituti, vt pertæſos illius tandem impellat in ruinam.

Secvndvs defectus eſt, quod nolint vti duce, quem eis attribui ad iter ſine erro-

re com-

re conficiendum. Temerarius enim iure æstimatur viator, qui sine duce viam ingreditur, quam intellexit ob varia diuersicula & flexiones erroribus periculisque obnoxiam. Ego sum dux, qui religiosis omnibus viam rectam monstro ad perfectionem, sed per eorum Superiores, & Patres spirituales, quos in quaque religione constitui. Quare neque mirum est, eos qui nolunt Superiorum suorum & Confessariorum nutu & imperio gubernari, sed suo ipsorum iudicio, aberrent à via, spolientur à prædonibus, vel in præcipitia incurrant. Sic euenit iis, qui se antequam discipuli fuerint, profiteri se volunt magistros: quos tandem fastus & superbia, qua superiorem, quem illis ducis & Magistri loco dedi, despiciunt, efficit discipulos dæmonis, qui est dux & antesignanus omnium superborum.

DATVR & alius defectus ex respectu humano ortus, nempè quod quidam plus æquo solliciti sint, vti omnium sibi gratiam concilient. Estnè religiosi hominis placere hominibus, & non displicere mundo? Quo iure aucupari potest, fauorem sæculi, qui tam seriò semel renuntiauit sæculo? Idcircò ego eum ex sæculo ad

religio-

religionem vocaui, vt non aliud quæreret, quàm mihi soli placere, & hac via tenderet ad perfectionē. Si opera mundi huius homo perduci posset ad statum perfectum, posset & religiosus mundi beneficio vti: sed non est ita. mundus enim longè aliam professionem sequitur, aliasq; fouet cogitationes quàm de assequenda perfectione spirituali. Qui studet placere hominibus, discipulus meus non est. nec placet mihi, sed nec eum in seruum meum recipio. Vni Domino tantum seruiri potest per amorem, & non duobus. Si quis cor suum diuidere velit in duas partes, non decernat de altera parte mihi offerenda. nam nulla ratione eam acceptabo. Si tantoperè desideras placere hominibus, cur discessisti ab illis? O miseros religiosos, qui cum in sæculo adhuc degerent, non modò non fauores humanos venabantur, verùm etiam nihil malè committebant, quo famam & existimationem suam obscurarent: at postquàm religiosum statum complexi sunt, tanto desiderio æstuant placendi hominibus, vt non pudeat illos multa cōmittere suæ vocationi & conditioni indigna, & quod eò deterius est, etiam me grauiter offendere, ne fortè offendant homines. Quid ergò mi homo

homo gloriaris te pedibus conculcasse mũdum, si tam studiosè conaris ei placere? Non animaduertis sollicitudine illa aucupandi aliorum gratiam, te pacem & quietem animi perdere? Non est profectò hæc via ad montem perfectionis, sed ad barathrum æternæ damnationis.

Est & aliud in virtutum perfectione assequenda impedimentum, cum religiosus in actionibus suis spiritualibus nullum obseruat ordinem. Exercitus quantumuis numerosissimus, & ab omnibus rebus necessariis instructus, si benè ordinatus non sit, siue dum progreditur, siue dum in hostem irruit, nunquam potietur victoria. Sic religiosus, cui decertandum est, pro consequenda perfectione in monte collocata, omnique virtutũ panoplia circundata, si in omnibus suis exercitiis actionibusq; spiritalibus, quę sunt quasi totidẽ eius milites, non fuerit rectè ordinatus, nullam obtinebit victoriam. Sunt nonnulli, qui ante iactum humilitatis fundamentum, nituntur ædificium spiritale erigere. Alij verò antequam viam purgatiuam transierint, existimant se posse mihi intimè coniungi & vniri. Non est hic modus, nec ordo assequendæ perfectionis. Initio humilitas com-

comparanda est, tum ad pœnitentiam pergendũ, eaq; egregiè animus expurgandus. Qui in lutum delapsus est, non satis habet, si ex eo exurgat, nisi etiam sordes, & maculas contractas eluat. Sic religioso non sufficit renunciasse mundo, & ex peccatorum sentina emersisse, sed opus habet prauas cupiditates, & noxias propensiones, quæ quasi maculæ in anima remanserunt, euellere, earumque loco pulcherrimas virtutes, adiuuante meo lumine & gratia inserere: sic enim amoris vinculo arctissimè mihi poterit vniri.

Ad extremum non solùm ad perfectionem, sed etiam ad quamcunq; virtutem assequendam aditum intercludit, vitæ spiritualis inconstantia. Sunt enim, qui crebriùs quidem conantur virtutum montem conscendere, sed semper in vallem ei subiectam relabuntur, quia procliuiores sunt ad rem semel inchoatã deserendam, quàm ad fortiter prosequendam. O quanto mœrore afficientur impendente hora mortis ob hãc inconstantiam, quando eis dæmon exprobrabit, quod magno quidem feruore à Superioribus extorserint frequentiorem exercitationem precum, ieiuniorum, disciplinarum, aliorumque mediorum, vt proficere

possent in spiritu, & ad perfectionis culmen contendere, sed postea nihil horum, vel parum admodum præstiterint. Si religiosus, magno, vti deberet, amore perfectionis teneretur, semper ad eam anhelaret, nec vlla difficultate ab ea apprehẽdenda deterreretur. sed quia amor in re est languidior, vnde nascitur inconstantia, facilè retrorsum agitur. Religiosus inconstans non ludendo solùm temporis iacturam facit, sed in dies deterior efficitur.

Quibus modis acquiratur perfectio.

CAPVT XI.

DOMINE, si tam arduum est peruenire ad perfectionem ob tot defectus & impedimenta, quæ viam obstruũt, non video quomodo ego, debilissimus, eò possim pertingere, aut perexiguis meis viribus tot difficultates superare. FILI, qui seriò & ex animo statuit aspirare ad perfectionem certissimè illam assequitur. Tot religiosi quondam perfectissimi, qui æterna felicitate modò perfruuntur in cælo, similes tui homines fuêre, & easdem tecum difficultates, immò & maiores habuêre, & tamen cõstanter eas expugnarunt. Poteris ergò & tu si velis. Nec aberit gratiæ meæ auxilium

ficu

ficut nec abfuit illis, modò ſeriò aliquid decernas; ſicut illi fecêre. Nec reuocari debes occurrentiũ difficultatum metu, cum præſto ſint totidem vel plura etiam media & remedia ad difficultates tollendas & perfectionem obtinendam.

PRIMVM autem remedium eſt, interno affectu perfectionem complecti totoque pectore ad eam anhelare. nihil enim ad ſcopulos omnes in hoc monte ſuperandos efficacius eſt affectione amoris. Nec aliud religioſo æquè calcar addit ad curſum illũ proſequendum, ac toto corde ad perfectionem aſpirare. Ex amore deindè ſequitur ſtudium ea media vſurpandi, quæ neceſſaria vel vtilia ſunt ad conſequendam perfectionem. Studium verò & diligentia plurimùm iuuat, vt citiùs obtineatur, quod deſideratur & amatur. Ex eodẽ amore naſcitur conſtantia & perſeuerantia, quo religioſo robur additur, ad perſequendum conatum; quem conatum proximè ſequitur victoria & corona. Amanti nihil difficile, ne cæli quidem expugnatio, & montis perfectionis aſcenſio.

ALTERVM mediũ ad perfectionẽ aſſequendã eſt, minimarũ quoq; imperfectionũ rationẽ aliquã habere. Solent nonnulli, dũ

in eiusmodi imperfectiones labuntur, ii hæc & similia verba erumpere. Nihil refert, res est parui momenti, nihil est. Qui pestes sunt religionis, nam ex hoc contemptu reddu-duntur paulatim audaces & temerarij, suoque prauo exemplo, alios pertrahunt ad pernicioſam quandam laxitatem & dissolutionem. Non debet parui æstimari, quod mihi displicet. Nec debet pro re exigui momenti haberi, quam ego mando vel prohibeo, etiamsi magna non sit. Et scias, fili, mihi etiam minimas imperfectiones non placere, & idcircò eas vetuisse. Noris etiam, religiosum, cui religio est, in rebus etiã leuissimis præuaricari, liberari ab imperfectionibus grauioribus Nam omnes magnæ ruinæ & dissolutiones, quæ deprehenduntur in religionibus, initium acceperunt ex erratis leuibus. Qui oculos claudit, ad lapsum leuem, claudet etiam ad grauem, quia ille ad hunc, viam sternit.

Deinde optimum medium quoq; est, in minimis rebus se mortificare. Perfectio siquidem religiosa, ambitu suo omnes cõplectitur virtutes, quas consequi omnes nequit, nisi plenum & absolutum passionum & sensuum imperium obtinuerit. Obtinet autem, quisquis passiones, simulatq; contra

ratio-

rationem, vel religionis leges caput erexerint, compresserit; nec sensibus etiam in rebus leuissimis, plus indulserit, quàm statui religioso conueniat. Qui plus æquo permittit sensibus, facilè experitur eos rebelles. Et qui initio non resistit inordinatæ passioni, seruus eius efficitur.

Est & aliud medium ad consequendã perfectionem non vtile modo, sed etiam necessariũ, vt religiosus scilicet cum suo Superiore in omnibus consentiat. A me enim omnia subsidia ortum suum habent, quibus ad acquirendam perfectionem opus est: ea autem ordinariè communico per Superiores; per hos illos illumino, guberno & dirigo. Qui ergò à Superiore suo diuulsus est, donis & adiumentis huiusmodi destitutus est. Imò diuulsus est quoq; à me, atque ideò mirum non est eum crebriùs labi, pedibus aliorum conculcari, & contabescere, quia est membrum mortuum à capite resectum. Parum prodest discipulo ludum scholasticum inire, si coniunctus non sit Magistro, à quo in capessendis disciplinis dirigatur.

Iuvat denique non parum ad perfectionem, si hæc media vsurpentur, non cum fastidio & mœrore, sed grauiter & alacriter. Hæc enim alacritas plurimum valet ad expugnan-

expugnandas difficultates, quas corpus sentit in virtutibus acquirendis, pudefacit inimicos viæ perfectionis aduersantes, & totius itineris labores reddit leuiores. Et, quod eò amplius est, hæc promptitudo & alacritas, qua religiosus mihi seruit, mihi summoperè placet, eò quod & ipsa ex amore proficiscatur. Ad conseruandā autem hanc lætitiam & alacritatem spiritalem in conscendendo virtutum montem, necesse est habere probos itineris comites. Dici non potest, quantum emolumentum capiat religiosus ex consuetudine bonorum, quorū sermone exemploque excitetur & promoueatur ad deuotionem, nihil enim in vita humana efficaciùs hominem ad perfectionem accendit, quàm sociorum exemplum. Vis fili, esse sapiens? conuersare cum sapientibus. Vis esse perfectus? viue cum iis, qui amant & sectantur studium perfectionis. Idcircò ego prouidi, vt in quocunque meæ Ecclesiæ statu semper existerent aliqui homines sancti & exemplares, qui suis exemplis, velut candelis in candelabra sublatis, aliis lucem præberent. Religiosus ergò dum vitam illorum confert cum sua, facilè animaduertit, quàm exiguū in vita spirituali progressum fecerit, & sancta quadā æmu-

latione

lationē se ipse excitat, vt deinceps diligentiorem operam in exercitatione virtutum nauet. Si bona exempla ad mouendum efficaciora sunt quàm verba; quisquis eorum intuitu non proficit, liquidò ostendit, se voluntatem habere in malo nimis obstinatā.

De gaudio spirituali, quo religiosus perfectionis studiosus perfunditur.

CAPVT XII.

FILI, lætitia spiritualis, qua bonus religiosus viam angustam perfectionis ingressus afficitur, citra dubium est magna & singularis, sicut contra mœror, & amaritudo, quò malus religiosus viam latā imperfectionum terens, obruitur, est durus & peracerbus. Itaq; vterq; degustare incipit in hac vita, quod præparatum est in altera, supplicium vel præmiū. Domine, haud scio, quid hic respondeam. Video enim multos religiosos, vitam laxiorem complecti, nec admodum ad perfectionis studium anhelare, & tamen alacres esse & lætos. Falleris fili, in vita laxiore, & disciplinæ omnis experte, non est vera & solida lætitia, licet ita videatur. Religiosus qui viuit pro suo arbitrio ac vt placet, aliis displicet: & sæpè in mærorē

deiicitur, quia non potest consequi quæ placent. Vera lętitia sedem habet in animo, nasciturque ex pace & tranquillitate conscientiæ, quàm intus sentit. Quæ sanè non potest esse in religiosis dissolutam vitam agentibus, cum animus eorum instar maris perturbationum fluctibus quotidiè agitetur. Væ religioso in sua imperfectione gaudenti.

Sunt alij in religione, qui suo arbitrio viam perfectionis decurrunt, nec ea moderatione in se mortificando vtuntur, qua deberent. Hi sæpenumero impingunt, quia offendunt sanitatem, & tamen non assequuntur, ad quam tendunt, sanctitatem. Et cum externa æquè ac interna lætitia careant, culpa omnis in nimiam deuotionem coniicitur; sed falsò. Neque enim deuotio, aut infirmitatem creat, aut mœrorem, sed indiscretio, & quod plus fiat, quàm ratio dictet, aut ego postulem. Nemo sui nec dux, nec iudex bonus esse potest.

VERA autem lætitia & pax in ijs religiosis inuenitur, qui moderatione debita, secundùm suorum Superiorum, Patrumuè Spiritalium consilium studio perfectionis, mediisq; eam assequendi inuigilant. Nam quocunque se vertant, occasiones se exhilarandi,

randi, & spiritaliter exultandi offendunt. Si se conuertant ad me, consolationem nõ paruam sentiunt, quia optimè norunt, quàm mihi gratum sit videre religiosum seriò perfectioni incumbentem. Ac, si in hac vita aliud non esset, hoc vnum satis esse deberet religioso, vt in summo gaudio vitam traduceret. neque enim seruo iucundiùs esse potest, quàm intelligere sua officia & ministeria domino suo esse pergrata.

Sin verò conuertant se ad suos Superiores, non dissimilem experiuntur animi trãquillitatem: nam cum perfectionis studiosi sint, necessariò quieti sunt, obsequentes, & religiosæ disciplinæ obseruantissimi, ac proindè in summo Superiorum amore & existimatione. quod si illi agnoscant, non possunt non maximo affici gaudio.

Iam si respiciamus ad alios, cum quibus viuunt & conuersantur, nullam tristitiæ causam habent. Nam cum virtuti operam dent, nemini incommodant, immò omnibus studeant, æquè ac sibi prodesse. vnde & pacem fouent cum omnibus. vbi autem pax est, ibi verum est gaudium. Deindè virtus non solùm amicis, sed etiam inimicis eos reddit amabiles. Virtute enim præditi ab omnibus amantur, & honore afficiun-

tur. Itaque nunquam religioso deesse potest interna consolatio.

ADHÆC si oculos conuertant in seipsos, non poterit sua quoque desiderari consolatio. Virtutis siquidem proprium est, in qua illi se exercent, cum delectatione ac gustu operari. quare necesse est veros religiosos in omnibus suis actionibus lætari. Imò in tribulationibus & persecutionibus consolationem inueniunt, cum ipsi amore mei parati sint etiam tolerare cruciatus inferni, si id citra culpam suam, & ad meam gloriam fieri posset, & non tantùm omnes aduersitates & ærumnas huius sæculi.

DEMVM meditatio mortis, quæ aliis formidinem incutit & horrorem, bonis religiosis conciliat lætitiam, non solùm ob præmium quod expectant, sed quia tunc participes futuri sunt extremæ summæque consolationis illius, quam religiosi præstolatur in hora mortis, ob studiũ perfectionis assequendę adhibitum. Hoc enim tempore anima summo gaudio exultabit, nec gratiarum agendarum ob accepta beneficia finem inueniet.

VNA tantum res contristare potest bonum religiosum, nempè si labatur in aliquam imperfectionem. Sed hæc tristitia

diu

diuturna esse non potest, quia ilicò virtute pœnitentiæ tollitur, remota per contritionem culpa, animusque pristinæ tranquillitati & paci restituitur. Dic age fili, qui fortè parui facis perfectionem, qua alia in re inuenias tantam animi lætitiam? Quid quæso te securiorem reddere potest studio perfectionis? An non animaduertis, dare operam perfectioni, non esse aliud, quàm primoribus labris degustare beatitudinem? Fatuus sis & demens, si tanto bono te spolies, ne opus sit in refrenandis carnis & sensuum cupiditatibus laborem aliquem impendere. Atque hæc dementia liquidiùs constabit tibi, quando non suppetet facultas faciendi, quod iam facere deberes. Beatus est, qui in extremo agone dicere poterit. Quicquid boni facere potui vel debui, id fauore diuino præstiti in vita.

De laboribus & ærumnis quas patiuntur religiosi deserentes viam perfectionis.

Caput XIII.

Domine, si in tantum deprimatur lanx religiosi mali, quantũ attollitur boni

non

non dubito eum in magna afflictione ob desertam perfectionis viam versari. Sic est fili, eoque peius, quod infelicitatem suam minimè agnoscat. Malum quoduis hoc periculosius esse solet, quo minus est exploratum; nam si initio per incuriam negligatur, augescit, tantasq; vires sensim accipit, vt tandem in domo sua dominetur. O quãtam perniciem sibi affert malus religiosus, qui à nimia viuendi licentia in transuersum actus, in seipsum non descendit, vt cognoscat vndè tantæ perturbationes & afflictiones, quas in religione patitur, originem sumant.

Si conuertat se ad me, pudore suffunditur. probè enim nouit se è mundo euocatũ, vt vitam institueret separatam & perfectam, scit quot beneficiis ipsum cumularim, quantis donarim commodis vt virtuti operam daret. Quod autem his posthabitis omnem cogitationem perfectionis sectandæ abiecerit, & omnes rationes laxius viuendi, & sensuum illecebris satisfaciendi ineat, in tantum me offendit, quantum mihi exosa est ingratitudo, ex qua talis vita promanat. Non sunt hæc pia animi proposita, quæ in ingressu relgionis declarauit. Neq; est hæc via, quam eum docui, quamque

que ego pedibus meis triui. Nec ipse ignorare potest in animo suo, hanc vitam suam, quæ à religiosi vita longissimè abest, summopere mihi displicere. Et idcircò præter voluntatem acerbissimis conscientiæ aculeis intus excruciatur, licet foris non declaret, suoque tempore meritas pœnas luet. Seruus, qui conscius voluntatis Domini sui, dum potest, eam non præstat, si stultus non est, meretur seuerissimè mulctari.

Si verò ei agendum sit cum Superioribus, mœrore conficitur. cum enim nec obediens sit, nec disciplinæ religiosæ amans non potest communem cum eis tueri pacẽ. ac proindè necesse est, multa fieri vicissim, quæ nunc ipsi, nunc Superioribus displiceant. Adhæc miseri Superiores anguntur, nescientes quemadmodum eum tractare debeant, vt adiuuetur. Si enim indulgenter cum eo agant, ille vti libertati assuefactus humanitate abutitur, & amplius insolescit. Si verò agant seuerius, impellendo eum ad præstandum officium, ille vt impatiens tantæ disciplinæ iugum excutit, & religionem turbat. Si quippiam ei mandetur, repugnat, si pœnitentia imponatur queritur & obmurmurat. Vt pro arbitratu suo inter cæteros viuat, non expedit: quo enim

consuetudo malè agendi diuturnior est, hoc hominem deteriorem reddit, & prauo exemplo plures seducit. Vndè sequitur religiosum, qui contempto perfectionis studio viuit dissolutè, & nihil pensi habet pacem cum Superioribus colere, continua angi debere tristitia & amaritudine cordis. Certè non potest non malus esse, & in dies fieri deterior, qui Superioribus, maioribusque suis reluctatur.

Si conuertat se deindè ad alios religiosos inter quos vitam ducit, nullam reperit consolationem. Nam si animaduertat prudentes & spirituales fratres exiguam ducere rationem sui, eiusque consuetudinem, quoad possunt, defugere, non potest non in animo grauiter commoueri, & ideircò cum sui similibus vitæ laxioris studiosis agere cogitur. Cæterùm nec ab his solidum capere potest solatium, quia vbi spiritus deuotionis non est, diuturna pax & lætitia esse non potest. Amicitia improborum non diu durat, & semper est suspecta. Vbi autem regnat suspicio, animus manet suspensus & dubius, & ideò nec potest verè esse lætus.

Denique si malus religiosus oculos conuertat in seipsum, causam non gauden-

di,

di, sed plangendi habet. Nam cum veris virtutibus sit destitutus, non habet, à quo in suis actionibus dirigatur, nec à quo in tentationibus defendatur, atque ita proclivis ad lapsum, atque etiam ad apostasiam efficitur. Deindè quæ lætitia ei ineſſe potest, cui magni labores subeundi sunt, nullo sperato spiritali lucro? Quandiu in religione est, necesse est, vt in ordinariis eius officiis se exerceat: quod cum faciat inuitus, vel cum fastidio & murmurationibus, aliisque imperfectionibus, iacturam meritorum facit. Præterea, qua consolatione frui potest is, qui ex actionibus salutaribus capit tormentum? Qui spiritu caret, & iuuari non potest? Si orandum sit, excruciatur: si concio audienda, vel colloquia de rebus piis habenda, fastidit, si sermo habendus de comparanda virtute molestè & impatienter fert. O miserum religiosum, qui fel haurit, vndè alij suauissimum mel hauriunt. Signum mortis est, quando æger ex medicina redditur imbecillior.

In tribulationibus deindè tolerandis tanto est afflictior, quanto minus aduersus eas communitus fuit & paratus, nempè instar exiguæ scaphæ exorta graui tempestate remis & gubernaculo destitutę.

Vna re tantùm videtur posse eximi tantis ærumnis, ac refrigerium aliquod capescere, nimirum à morte. Verùm mors (nisi omnis iudicij expers sit) potiùs ei augebit metum & terrorem. Quo enim citiùs illa venerit, hoc meo tribunali tempestiuius sistendus erit, vt rationem reddat de omnibus momentis in religione sine profectu spirituali transactis. Mors improbis maiorum pœnarum initium est.

Religiosum debere magna fiducia aspirare ad consequendam perfectionem.

CAPVT XIV.

DOMINE, si arborem virtutum ad carpendum suaues perfectionis fructus conscendero, non inuenio vbi innitar. Arbor enim est altissima, vires autem meę imbecilles, natura reformidat, corpus horret, & si calcaribus vrgeatur, recalcitrat, & ideò compellor remanere humi, quandoquidem in altum ascendere est impossibile. At fili, quomodo, quæso, potest dici impossibile, cum religiosi omnes, quotquot modo degunt in cælo, aliique multi adhuc commorantes in terra non sine ingenti laude eam ascenderint, & optatum perfectionis fru-

fructum collegerint? Etsi fatendum est, alios citiùs, alios tardiùs ad culmen peruenisse, alios minori, alios maiori, cum merito. Quare cuique volenti nec est impossibile eos sequi, nec admodum difficile. Si vires tuæ non sufficiant, præsto est auxilium meum; Si non desit tua industria, & cooperatio, non deerit quoque mea gratia. Euadere ad arboris huius fastigium & decerpere perfectionis fructum, est potiri victoria; ad victoriam autem obtinendam necesse est fortiter pugnare. Statuis & picturis sceptrum dari potest, & corona, quamuis arma nunquam corripuerint. at non creaturæ rationali & liberæ, cui corona virtutis præmium est, præmium autem nemini cedit sine merito, nec meritum sine antegresso certamine. Si ergò ad perfectionis coronam aspiras, opus est, vt ad laborem & certamen te compares, quemadmodum alij ante te fecerunt. Præmium quid sit ignorat, qui illud expectat sine labore.

Cvm ergò fiducia consequendæ perfectionis, non solùm meæ gratiæ nitatur auxilio, sed etiam tua cooperatione, necesse est, vt ex parte tua præstes, quæ iam subiungam. Primò necessarium est, vt verum & fixum desiderium habeas anhelandi ad per-

fectionem. Hoc enim non solùm confidentiæ dictæ fundamentum est, sed etiam valet ad promouendum progressum, ad vincendas difficultates, quæ subindè in itinere occurrunt, & ad mitigandum omnes labores. Fili, experientia satis docet, eum qui desiderium non habet, non quærere, & qui magnum desiderium alicuius rei habet, magno studio illam quærere. Deindè, in me confidens, erecto animo incipe exercere actiones nunc huius, nunc illius virtutis: hoc enim modo prauas omnes inclinationes euelles, & pulcherrimas quasque virtutes menti inseres. Et quanquam soleam suppeditare meum auxilium, noris tamen, me sæpè probare religiosum subtractione auxilij, vt appareat, quàm sit constans, & quanta fiducia in me fretus.

O quantoperè fallitur religiosus, qui si fortè in medio cursu ad perfectionem assequendam instituto impingat, labendo in aliquam imperfectionem, aut animaduertat se non quantos optaret in virtute facere progressus, animum despondet, diffidensq; de consequendo perfectionis culmine, negligit, progredi longius. vndè fit, vt longè liberius, quàm ante ih omnem licentiã delinquendi ruat. Hæc sanè via non est obti-

nendæ

nendæ victoriæ, nec est animi fortis & heroici argumentum, sed angusti & væcordis. Demens profectò reputetur viator, qui idcircò cæptum prosequi iter nollet, aut pedem referret, quod semel in saxum impegisset, aut in terram prolapsus fuisset. id enim non esset aliud quàm ex leui malo efficere grauius. Non ita facit sapiens viator & cautus, sed si fortè labatur, ilico exurgit, & iter prosequitur. Hoc autem ex lapsu discit, vt deinceps sedulò caueat, ne iterum labatur. Idem prorsus contingit apud religiosos, Quandò enim incautus aliquis labitur in aliquam imperfectionem; nec studet exurgere, nec operam dat ne amplius labatur. Quando verò prudens & spiritualis labitur, subitò se in pedes erigit, & si centies quotidie laberetur, centies resurgeret, ac de commissis lapsibus doleret. Vndè non solùm non animum despondet, sed etiam maiore studio & conatu per virtutum exercitia, inchoatam semel perfectionis viam persequitur. Et hoc est ex malo elicere bonum.

Hallucinantur quoque illi religiosi, qui arbitrantur virtutum exercitationem esse laboriosam & perdifficilem. Itaq; incolumitatis corporalis lædendæ metu animum

abiiciunt, pusilanimes fiunt, vel equi suspicioſi instar resistunt, aut calcibus feriunt. Vellent nimirum illi nullius laboris interuentu, saluisque consuetis recreationibus, ad palmam virtutum decurrere. Non est certè natura humana tam ferax terra, vt sponte nullius accedente cultura proferat fructum. Neque virtutum tam ignobilis conditio est, vt religioſus non meritò suis commodis vel sensuum renunciare illecebris debeat, quo earum perfectionem consequatur. Amor proprius in hanc fraudem impellit, vt videantur pluris facienda commoda corporum temporalia, quàm spiritualia ornamenta animorum. Qui nimium abblanditur corpori, deturbat virtutes ex anima.

Iam verò alij religioſi inueniuntur, qui idcircò detractant proficere in studio perfectionis, quod arbitrentur se non tantum auxilij, quantum ad hoc studium requiritur, à me impetraturos. Quæ opinio superiore deterior est. Quid enim hoc est aliud, quàm me offendere, & fallere seipsum? Nam fiduciam nolle in me collocare, est luculentam mihi facere iniuriam, ac si non scirem, vel non possem, vel nollem auxilium subministrare. Non est ita, nec enim

aliud

aliud desidero, quàm iuuare, nec vnquam internas inspirationes, aliaque media, quibus ad perfectionem inflammentur, subtraho, imò hoc fine eos extraxi è sæculo. Quomodo ergò potest destitui quisquam meo auxilio? Qua ratione diffidere potest de mea gratia, cum continenter stem ad ostium & pulsem, vt intrare queam, & cuiusque inopiæ subuenire? Si hoc operculo cor-tegere illi volunt ignauiam suam & socordiam, falluntur, quia multò amplius illam patefaciunt. Qui culpam suam in alios reiicit, dupliciter peccat. Sic est Domine, non tua, sed nostra culpa est, quò minus ad perfectionem tendamus. cum enim tu sis infinitè sapiens, rationes nos iuuandi nosti, & cum sis omnipotens, potes. Nec velle tuum abnuis, quia voluntas tua est ipsa bonitas. Vniuersa ergò culpa in solidum nostra est.

Nulla re mundi posse religiosum auocari à consequenda perfectione.

CAPVT XV.

FILI, miles timidus nunquam defiget vexillum in hostiũ mœnibus, quia formido nimia facit, aut vt longiùs ab illis abscedat, aut si vicinus fuerit, terga vertat, &

ideò nulla remuneratione dignus, nec vllo loco apud belli Imperatorem censetur, atq; à commilitonibus velut ignauus & excors contemnitur. Nolo seruum meum plus æquo esse audacem, vel temerarium, sed nec vòlo esse nimium timidum. Placet autem, vt sit magnanimus & constans, vt non metuat, vbi causa metuendi non est. Dicat quæso religiosus, qui negat se in cursu perfectionis progressurum, quid eum faciat subsistere aut tergiuersari? Non quod conatus sit inanis & vanus, cum iam dictum sit, quamplurimos ad perfectionis metam peruenisse, egoque promptus sim & paratus subuenire omnibus meæ gratiæ subsidio. Certè si religiosi omnes tam parati essent ad complectendū oblatum à me subsidium industriamque suam cum mea gratia copulandam, quantum in me est desiderium ad illud suppeditandū, multò maior perfectorum numerus, quàm nunc est, existeret.

NEQVE tanta est inimicorum potentia, vt religiosum vel retardare, vel abstrahere queat a via perfectionis: licet enim potentes sint, tamen si velit, non solùm non poterit vinci, aut impediri ab illis, sed etiam facilè eos poterit vincere, cum potentia eorū duntaxat consistat in tentando non autem

in vincendo, vel impediendo, nisi fortè quis ab iis impediri vel vinci vltrò velit. Satis imbecillis est hostis, cui nulla facta est potestas vincendi, nisi eos qui vinci volunt. Et animi nimis abiecti est, qui à talibus se vinci sinit. Qui verò ab illis tentatus, non prolabitur, magnum quæstum in spiritu facit, quia tali exercitatione fortior constantiorque efficitur, & ampliori robore fretus ad perfectionem gradum facit, quod non est aliud, quàm perfectionem ipsam lucrari. Quo enim miles sæpiùs tractandis armis virtutem suam probauit, & in pluribus castris stipendia fecit, tantò perfectioris militis nomen consequutus est.

Nec propter imperfectorum, negligentiumuè dicteria debet bonus religiosus ab instituto perfectionis itinere cessare, hoc enim esset pluris æstimare sermones improborum, quàm meas inspirationes, ad salutem animæ pertinentes. O quantum mihi displicet, & quàm grauiter me offendunt illi, qui pestilẽtibus suis linguis religiosos virtuti ad consequendã perfectionẽ singularẽ operã nauantes perstringũt, & dicũt nimis citò velle eos peruenire ad culmẽ sanctitatis, vel ad alta nimis aspirare, vt postea lapsu grauiore ruant. Nec desunt, qui nõ vereãtur

affirmare, dedere se deuotioni, haud esse aliud, quàm valetudinem lædere, melancholia caput obruere, & diuino seruitio prorsus inhabilem se reddere. Mirum est, eiusmodi homines non animaduertere, quantum damnum venenatis huiusmodi dictis, etiam si per iocum effutiri videantur, faciant. Qui sanè ipsi benè non faciunt, nec patiuntur alios benefacere, dæmonis officio fungi videntur. Hi sunt verè inimici domestici, falsi fratres, ministri inferni, quorum opera Satanas vtitur ad pios religiosorum conatus vel retardandos, vel penitus euertendos. Qui veneno inimicum suum vult è medio tollere, domestici vel familiaris illius opera vtitur. O infelices & miseri seductores, qui nec suo officio faciunt satis, nec alios facere sinunt. O quàm dissimiles sunt iis, qui primi in religione mihi seruierunt. hi enim se mutuò ad virtutum studium hortabantur, ac vitæ exemplo, piisque sermonibus ad amorem diuinum inflammabant, animabant etiam ad mortificationem passionum, & sui contemptum, vt perfectionis scopum attingerent.

VERVM esto, religiosum post consilium Superioris vel Confessarij iudicio cum discretione de virtute exercenda datum, labi in

in morbum : quantum quæso hoc malum est ? Quid detrimenti illi indè contingit ? Ego qui Dominus sum, ita volo. quid si ego hac via à morbo animæ longè deteriori illum eripere cogitem? An existimant isti homines, religiosum pium, si in ægritudinem labatur, ideò mihi displicere ? Mihi non displicent, nisi imperfecti, qui quo saniores sunt corpore, hoc me grauius crebrò offendunt. Mihi gratior est religiosus æger, si deuotus sit, quã sanus, si deuotionis sit expers: nam ille etiam in ægritudine bonum præbet exemplum, & virtutem exercet, quorum neutrum facit sanus indeuotus. Et idcircò religiosus perfectionis cupidus, quando ægrotat, apud me nullius rei iacturam facit, quia æquè morbi ac sanitatis tempore à me stipendium consuetum meis militibus persoluitur. Morbus spiritualis ex imperfectionibus natus magnum detrimentum adfert, & non corporalis, ex quo probi religiosi non pœnitendum sæpè hauriunt fructum. Si corpore malè affecto, infirmaretur quoque voluntas, vt æger mereri amplius non possit, damnum aliquod pateretur, & nullus non iustam causam haberet talem morbum defugiendi. Verùm non ita est. sed potius contrariũ. vndè Apostolus meus dicebat, 2. Cor. 12.

bat, se cum infirmaretur, esse fortiorem, & virtutem ex infirmitate perfici. Fili vis facere rem tibi salutarem, mihique pergratam? Fuge maleuolos istos detractores, haud secus quàm virulentos serpentes. Et scias, si contemptis pestilentibus eorum calumniis consecteris studium perfectionis, tuam gloriam fore cumulatiorem; quia ego, cuius amore hoc præstabis, liberalissimus tuus remunerator ero.

NONNVLLI ideò viam perfectionis inire nolunt, quod paucos cernant eam ingredi. sed hæc causa iusta non est, vt res tam fructuosa & laudata omittatur. Quid interest, siue multos, siue paucos, in re saluberrima habeas socios? Nonnè satis tibi esse debet, hanc viam esse bonam, securam & ad felicissimum perducere terminum? Non habere multos socios in conficienda perfectionis via, tibi potiùs laudem & meritũ adauget, quàm imminuit. Immò singularis beneficij loco reputare debes; eò quod paucis contigerit. Sunt & pauci electi, licet multi sint vocati. Et multi currunt in stadio, sed vnus accipit brauium Si tu potes esse vnus ex numero paucorum, & preciosam mereri coronam, cur abstines à cursu. Qui ex amore laborat, non est sollicitus

de

de aliorum societate, sed sufficit ei non deesse, cuius gratia laborem suscipiat. Ego sum ille, cuius amore omnes religiosi decurrunt ad perfectionis metam. Ego eorum sum dux & comes. Ego eos subleuo & defendo. Atque hoc solùm iis satis esse deberet, ad iter magno & valenti animo continuandum. Neque admirari debes, hanc viam à paucis frequentatam, quia pauci sunt, qui seriò se mortificent, qui cupiditates suas frangant, & sensuum blandimenta respuant; multi verò à spectabilibus huius mundi illecebris sinunt se in viam latam & spariosam abripi, quæ quantum statui religioso repugnet, nemo ignorare potest.

Alii adhæc sunt, qui se arceri permittunt à perfectionis huius laude ob humanos respectus, & fortunæ commoda, quod non est aliud, quàm insigni iniuria afficere virtutes, quarum est religiosi caput exornare, cum contra respectus humani, omniaq; cõmoda temporalia debeãt substerni eiusdem pedibus. Qui ergò illa deserit propter hæc, virtutes necessariò subiicit religiosi pedibus, respectus verò humanos sustollit in caput. Adhæc, qui pluris facit existimationẽ mũdi, & huius seculi opes, quã perfectionẽ,

ad

ad quã ego religiosos exhortor, mihi quoq; infert iniuriam, & sibi damnum. Omnes enim norunt, qui me erubuerit corã hominibus, quod ego quoque eum erubescam coram angelis Dei. Sed quæ hæc est ineptia & absurditas? Illi, cum degerent in sæculo, desiderio sectandæ perfectionis religiosæ deseruerunt mundum, eiusque temporalia commoda, atque adeò omnes res humanas. Nunc autem postquam religionem sunt complexi, perfectioni renunciare volunt, propter mundum. An non hæc est manifesta stultitia? Iam cum respectus humanus non sit aliud, quam vanus quidam timor ne in aliqua actione sua, homo vituperetur, qua ratione vituperari potest religiosus perfectionis cupidus? Potestnè illi in hac vita maior contingere gloria, quàm si de illo hoc asseratur? Quid verò religioso noui accidet, si à mundo contemnatur? Expectatnè ab eo aliquam remunerationem, aut reformidat ne eius condemnetur sententia? Parum refert, sitnè religiosus carus vel exosus mundo: magni autem refert si sit carus mihi.

Luce 9.

Demvm & àlij à calcanda hac perfectionis semita absistunt, ob repugnantiam quàm natura humana experitur in vsurpandis

dis mediis, atque ob difficultatem, quam corpus deprehendit in emetienda via perfectionis. Cęterùm hi aberrāt à ianua. nam religiosum esse, vel ad perfectionem tendere, non est aliud, quàm carnis cupiditates, & animi perturbationes coërcere. Itaque si tu virtutis exercitationem deseris, ne incōmodes corpori, nimis delicatè te amas; nec video quod inter te, & delicatum secularem intercedat discrimen. Recordare fili, non esse hæc promissa, quæ mihi in ingressu religionis feciſti. Tunc enim proposuiſti apud animum tuum multa pro me pati, corpus castigare, & mei, perfectionisque religiosæ causa, omni consolatione humana te exuere.

Bonum religiosum non debere esse contentum quocunque perfectionis gradu, sed aspirare ad maiorem.

CAPVT XV.

FILI, non faciunt mihi satis religiosi, si, ad qualemcunque aspirent religionis perfectionem, nisi aspirent quoque ad summam. Sic enim discipulis meis delaraui, cū eos cohortatus sum, vt essent perfecti, non sicut fuêre Patriarchæ & Prophetæ, vel sicut Sera-

Seraphini, aliiuè angeli, sed sicut Pater cæleſtis. O quàm mihi arridet religioſus, qui auarorum inſtar cupidus eſt veræ virtutis & perfectionis. Auarus nunquam exſaturatur; quo enim plus habet, hoc plus deſiderat. Eiuſmodi auaritiæ imitatores volo eſſe religioſos in rebus ſpiritalibus. Abiecti animi argumentum eſt, ſi quis dum facultas eſt conſequendi maiorem perfectionem, aſpiret ad minorem. Ego verò opto ſeruos meos eſſe magnanimos & generoſos, qui anhelent ad magna & ardua. Si enim eos condidi ad finem, quo non eſt ſublimior in mundo, & euexi ad tam excelſum ſtatum, hoc eſt, religioſum, cur illi non omnibus viribus contendant ad perfectionem vtrique reſpondentem? Qui non cooperarur conuenienter beneficio accepto, iniuriam facit benefactori.

Dicat mihi quæſo, quisquis nihil penſi habet aſpirare ad magnam animi pefectionem, ſed ſatis eſſe exiſtimat eā primoribus labris delibaſſe, num idem præſtet corpori? Eſtnè contentus modica eius incolumitate, cum poſſit obtinere firmiorem? Exiguamuè optat viuendi facultatem, & non optimam? Ergò ſi ex omnibus rebus terrenis, quæ ſeruiunt corpori, præſtantiſſima

& per-

& perfectissima, eaque maximo numero deligimus, cur non etiam pro animæ salute, quæ corporis domina est, omnibus numeris absolutissimas virtutes optemus & deligamus ? Non rectè gubernatur familia, in qua melius tractatur ancilla, quàm domina.

Qvis inficietur turpe pudendumque esse religiosum hominem hærere velle etiã in infimo virtutum gradu, cum videat homines seculares, nunquam in gradu vel statu vitę, quẽ semel complexi sunt, consistere, sed semper ad sublimiorem aspirare donec perueniant ad summum. Vndè plebeius primò laborat vt fiat nobilis, tum baro, indè Comes, donec euadat ad sceptrum & coronam. Et postquam huc peruenit, non quauis corona contentus est, sed anhelat ad locupletiorem, potentiorem, illustriorem, ac denique quantam obtinere in hac vita potest. Et religiosus tam vecordis animi erit, vt non etiam anhelet ad præstantissimam coronam spiritualem ? Hærebitnè in primo perfectionis gradu, cum possit magna laude sua & fructu conscendere ad supremum ? Nonnè ingens hæc est inertia & socordia ? An non hoc est parui facere voluntatem meam & respue-

respuere auxilium gratiæ meæ, cuius beneficio commodè posset ad sublimiorem gradum pertingere?

SCIAS fili, religiosum illum mihi cariorem gratioremque esse, qui conatur ad maiorem meam gloriam perfectionis culmen assequi. atque hoc meritò satis illi esse deberet, vt cursum non inhiberet, sed semper progrederetur longiùs. Age dic, quis tam abiectus vilisque famulus est, qui contentus sit in modica sui Domini gratia esse, cum possit in maxima? Cur ergò tu religiose, qui tot nominibus mihi es obligatus tanquam seruus, cur, cum ad perfectionem aspirando summam apud me gratiam promereri possis, id facere cunctaris? Quantum adlaborat miser seruus, vt gratiam venetur sui Domini? Quantum affligitur, cum omni studio adhibito animaduertit, se nondum gratiam singularem assecutum? Cur ergò tu pedem in ianua perfectionis figis, cum facilè queas subire in ipsa penetralia, & Dominum tibi deuincire? Placere mihi, non meum, sed tuum est lucrum. O quanti pretij est vel vnus gloriæ cælestis gradus, & quàm glorioſus est in cælo qui illum promeruit? Quotquot religiosi nunc in patria cælesti triumphant, tanti æstimãt,

etiam

etiam minimum gloriæ augmentum, quod dum perfectioni in terra operam darent, meruerant, vt non modò non maximas agant gratias creatori, sed etiam malint, si ita opus fuisset, sanguinem & vitam millies profudisse, quàm non illam gloriam obtinuisse. An ergò tu, qui citra sanguinis effusionem, vitæque iacturam potes coronam tuam adaugere in cælo, & gloriam amplificare, in dies faciendo in perfectione progressum, resistes in foribus, modica perfectione contentus? Vide fili, ne tibi eueniat, quod discipulis meis prædicaui. Quod habenti dabitur, non habenti verò tolletur, & id quod habet. Nec enim in pœnam tantum ingratitudinis & ignauiæ id fieri solet, sed etiam vsu venit ordinariè omnibus rebus aliqua qualitate modicè vel leuiter affectis. nam verbi causa, lignum, non admodum calefactum, facilè calorem exiguum, quem habet perdit, secus si valdè incaluerit. Sic religiosus, qui exiguam perfectionem assecutus est, facillimè eam perdit; qui verò plures gradus, non facilè eam perdit, sed est instar arboris benè radicatæ, quæ ventis & tempestatibus validè resistit. *Mat. 13.*

SVNT præterea alij, qui amantes vitæ laxioris purgandi sui causa dictitant, stu-

dium perfectionis tantum esse proprium Nouitiorum, & miserè falluntur, cum oēs religiosi teneantur ad perfectionem tendere Imò quò quis in religione antiquior est, hoc studiosius deberet comparandis virtutibus incumbere, vtpote qui & maiorē suæ obligationis notitiam habere, & suauitatē perfectionis diutius expertus esse deberet. Qui fame nulla laborat, facilè satiatur, & malum signum in religioso est, si nullam voluptatem ex studio virtutum capiat.

Alii è contrario nimis tempestiuè ad summum perfectionis gradum conuolare volunt, & si in defectum aliquem fortè labantur, ilicò animum despondent, & fiunt pusillanimes. Sed hęc non est mea voluntas, neq; hic est modus tendendi ad sum̃am perfectionem. Summa namq; perfectio in omnium vitiorum victoria, & omnium virtutum acquisitione consistit, quare opus est aliquo temporis interuallo. Aspirare itaque in dies ad maiorem perfectionem, de quo iam agimus, aliud non est, quam paulatim expugnare passiones, vel perturbationes animi, & cupiditates inordinatas cōprimere. Esse autem plenè perfectum, non est aliud, quàm post victoriam sui adeptam, mortuū esse mundo, & viuere soli Deo. Qui habet

inimi-

inimicos & aduersarios, nunquam securus esse potest, nisi è medio illos sustulerit; sed necesse non est, vt vno momento, vel simul omnes, tollat & extirpet, sic Religiosi inimici sunt passiones, quæ quotidiè illi rebellant; eas si non potest vno tempore simul omnes, conetur tamen aliam post aliam expugnare, & sic tendet ad maiorem perfectionem. Similiter regnum non inuaditur vniuersum simul, sed nunc arx aliqua eius ab hoste eripitur, nunc vrbs aliqua occupatur, & sic deinceps aliæ atque aliæ, donec totius regni possessio adeatur. Non secus religiosus, cui in votis est regnum perfectionis inuadere, nunc hanc, nunc illam virtutem acquirere debet, & hoc est, quotidiè ad maiorem perfectionem anhelare. Itaque nulla ratione deiici animo debet, si non vna actione alterauè fiat summè perfectus. Satis in itinere progreditur, qui nusquam in via hæret.

Religiosum debere perfectionem acquisitam conseruare, & de modo eandem conseruandi.

CAPVT XVII.

FILI, parum prodest corporis valetudini restitutum esse, si postea per intemperantiam victus aut incuriam aliquam iterum lædatur. Immò relapsus in morbum, solet ipso morbo esse periculosior. Eadem ratio est de perfectione spirituali, quæ parum semel parta prodest, si vitio custodiæ & vigilantiæ nostræ rursum excidat. Et si relabi in corporalem ægritudinem tanti æstimatur, propter discrimen, vitæ temporali impendens; multò pluris reformidanda erit relapsio in imperfectiones veteres, propter periculum vitæ spiritualis. Fili, vis immunis esse à periculo moriēdi spiritualiter? fuge ea, quæ ad mortem illam disponunt. Experientia certè quotidiana discimus, eos qui semel studio perfectionis nuntium remiserunt, in mille defectus impingere, & in tantam morum laxitatem, animique impudentiam deflectere, vt non modo remoto omni pudore multa parum laude digna cõmittant, sed etiam glorientur & exultent in suis lapsibus. Qua in re non sunt dissimiles illis angelis, qui cælo delapsi, cum ruina grauissima omnium spiritalium donorum iacturam fecerunt, & dirissima mala in suũ caput arcessiuerunt: nam quo erant sanctitate dignitateque omnibus creaturis excel-

len-

lentiores, hoc ruendo de cælorum fastigio facti sunt omnibus creaturis deteriores & viliores. Apostolus quoque qui me prodidit, ex Apostolatus dignitate, delapsus est in præcipitium desperationis. Idem euenit religiosis, qui quò ex elatiore perfectionis gradu labuntur, hoc ruinam tristiorem faciunt, & peiores fiunt. Atque vt beatus appellatur, qui declinando à malo, consectatur bonum, sic contra miser est & infelix, qui deserta perfectionis via, amplectitur vitam dissolutam & vagam.

Ad conseruandum autem perfectionis gradum, quem acquisiuisti, duæ virtutes tibi adminiculo esse possunt, amor & humilitas. Amor reddet te vigilantem, vt immunis sis ab incursu prædonum. Humilitas autem illum conteget & occultabit, vt in oculos illorum incurrere non possit. Quàm salutaris sit in hanc rem amor, non est difficile demonstrare. Homo diues & copiosus, qui opes suas non amat, citò eas perdit. nã qui non amat rem aliquam, non æstimat, qui autem non æstimat, nec custodit. nemo autem ignorat rem negligenter custoditã, facilè perire. Haud secus necessarium est, vt religiosus magno amore perfectionem semel partam prosequatur: ex amore enim

nascetur formido eã amittẽdi, ex formidine autẽ solicitudo & diligentia eã custodiendi. Solicitudo verò facit, vt inueniantur media necessaria vel vtilia ad finẽ consequendum.

QVISQVIS solicitudine tenetur conservandæ sanitatis corporalis, primò consulit medicos expertos & bonos, vescitur cibis salutaribus, statata in comedendo seruat tempora, congruentia non negligit corporis exercitia, habitationẽ deligit, in loco salubri, & à medicis probato. Tuetur se ab imbrib⁹, ventis, cæterisq; externis incommodis. Breuiter, cauet diligenter ne aliqua in re excedat, vel nocumentum aliquod faciat. Idem in religioso efficit solicitudo, si desiderio perfectionis conseruandæ teneatur, & salutem animæ quærat. Primum enim cauet ne arbitratu suo, vel sociorum laxiorum consilio vitam instituat, sed potius ex Superiorũ, Patrumq; spiritalium directione. Deindè vt cibis bonis vescatur, nempè iis, quibus ego vsus sum, dum viuerem in terra, hoc est, vt perficerem voluntatem Patris mei, qui in cælis est, cuius voluntas est sanctificatio animæ nostræ. Quare quicquid nobis Deus confert ad animę sanctitatem faciens, optimus est cibus, sicut contra quicquid ad fæditatem animæ facit, hoc est, peccata, pessimum

mum venenum est. Deindè exercitationem virtutum non negligit. Cum enim perfectio fundata sit in caritate, quæ similis est igni, in quem si iniiciantur ligna, crescit, si subtrahantur, extinguitur: ita quò religiosi caritate præditi plus se in virtutibus exercent, eò in perfectione amplius proficiunt, quo minus, hoc plus de perfectione discedit, ac proindè omni exercitio sublato tandem extinguitur. Quod ad locum salubrem attinet, in quo cõmorandum est, saluberrimus est religio ipsa, in qua religiosum collocauit: si autem particularia loca spectemus, optimus est in quo à medicis spiritalibus collocatur. Quod si occasiones quoque omnes labendi in aliquas imperfectiones effugiat; satis se muniet & tuebitur contra omnes difficultates externas. Deniq; nullum committit excessum, quia in omnibus rebus dubiis perfugium habet ad suum Patrem spiritualem, & sanctæ moderationis sale suas pœnitentias & mortificationes condit.

ALTERVM, quo conseruatur perfectio, est humilitas. Qui gemmam preciosam nactus est, tria cauet, ne aliquando eam amittat. Primò, in abditum locũ eam recludit, ne facilè à quouis videri vel inueniri possit. Secundò, non quibuslibet hominibus eã

visendam præbet, nec facilè apud quosuis gloriatur se illam habere. Tertiò, nec diuellit eam à re, ex qua pendet. Exempli causa, calor aquæ pendet ab igne. si autem aquam ab igne remoueas, perdit calorem. Humilitas in religioso, cui studium perfectionis gemmæ loco est, medetur omnibus his tribus periculis. Primò enim efficit, vt suas virtutes, & perfectionem alios celet, & modestiæ pallio quasi contegat. Deindè, vt non solùm non iactet & ostentet spiritales suas opes, verùm etiam reputet se eis indignum, & verò etiam ingenuè confiteatur se esse pauperem, mendicum, & seruum inutilem. Tertiò & postremo, vt agnoscat perfectionis gemmam pendere ex mea gratia, sciens, eam, si ab ea separetur, amitti. Sicut enim ego superbis resisto, sic humilibus gratiam impertio. Itaque si velis perfectionem tuam non modo conseruari, verùm etiam crescere, da operam veræ humilitati.

PRIMI LIBRI FINIS.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

De Perfectione Religiosa.

In quo agitur de tribus religionis Votis, eorumque perfecta obseruatione.

Ac primo,

De tribus Votis generatim.

CAPVT I.

De nobilitate & excellentia trium Votorum, quæ fiunt à Religiosis.

ILLI, quando res aliqua licet magni pretij non est cognita & explorata, non magni æstimatur, quia ignorātiæ caligine obscuratur eius excellentia, & existimatio debita adimitur. Atq; ea causa est, quòd à quibusdam, etiam religiosis non tanti fiant tria Vota, quæ in religione emittuntur, nempè, quia perspectam minimè habent eorum dignitatem & vtilitatem. Non est immunis à culpa, qui non cognoscit, quod potest & debet

debet ratione sui status cognoscere. Scias ergo fili, horum votorum excellentiam esse opinione multorum maiorem, nec exigui momenti. Voti autem nomine intelligitur obligatio à religioso facta Deo Creatori suo, de præstando aliquo bono meliori. Quæ obligatio cum sit nobilissima, spiritualis & diuina, iure ab vnoquoque religioso studiosè debet expendi, reuerenter honorari, & accuratè obseruari.

Quod sit nobilissima, indè clarissimè liquet, quia ea se obligat voluntas nostra, quæ inter animæ facultates principatum tenet, aliisque omnibus potentiis imperat. Deinde nobilissima est, quia fit Deo, cuius maiestas est infinita, & qui omnis veræ nobilitatis auctor est. Adhæc, quia ob finem nobilissimum, nempè diuini numinis gloriam, quæ hoc magis amplificatur, quò obligatio illa diligentiùs obseruatur Accedit quod inter omnes morales virtutes nobilitate & præstantia emineat religionis virtus: cum ergo votum sit illius præstantissimæ virtutis, quæ alias omnes suo splendore collustrat, actus, perspicuè sequitur & votum esse virtutem nobilissimam. Qualis enim est arbor, tales & eius fructus.

Quod autem hæc obligatio sit spiritalis

& san-

& sancta, dubium non est, tum quia ad bonum spirituale, nempè animæ sanctitatem dirigitur, tum quia principium est vitæ spiritualis religiosorum. Vndè quemadmodū vita corporalis pendet ex corde, tanquam à principio, sic vita religiosa, & esse religiosū pendet ab hac sancta obligatione. Et sicut minima cordis læsione, corporalis vita magnum capit detrimentum, ac sublato corde tollitur & vita; sic minimo quoque lapsu in huius obligationis obseruatione, religiosa vita magnū facit detrimentum, atq; eadem sublata, omne esse religiosum tollitur. Malū quò cordi vicinius est, hoc est periculosius.

Quod verò sit diuina hæc obligatio, etiā certum est, quia est à Spiritu sancto, qui mentem hominis diuino suo impulsu mouet ad talem obligationem faciendam. Deindè, quia persona cui fit diuina est, nempè ipse DEVS. Videat nunc religiosus, quanto eam amore prosequi debeat, quanta reuerentia custodire, quanta pietate studioque obseruare in omnibus quib⁹ potest: quādoquidē facta est ab eo, qui ad intimos cordis recessus penetrat, & probè nouit, quis iustā causam eā obseruandi habeat, & quis non.

Cæterū iā optarim cognoscere ab iis qbus molestiā aliquā affert, q̄ tā nobili sanctoq; vin-

vinculo sint illigati, quæ causa sit, quod in tanto honore & veneratione sint apud seculares? Dicent fortasse, quoniam sunt religiosi, & serui mei. At, quid eos fecit religiosos, meosque seruos, nisi tria hæc vota? multi seculares hodiè degunt in mũdo, longè religiosis multis doctiores, sanctiores, & perfectiores, & tamen in tanta veneratione non sunt, quanta religiosi. Causa est, quia non sunt sanctis votorum vinculis mihi alligati. Seculares, dum cernunt religiosos, circumspiciunt eos, tanquam totos meos, & ternis votis mihi consecratos, & quem honorem illis deferunt, arbitrantur se deferre mihi. Quod certè non faciunt hominibus in seculo constitutis, etiam magna virtute ornatis. Itaque huiusmodi vinculis astrictum esse, non est res vilis, sed honoratissima & nobilissima, etiam apud mundũ, nam & à magnis Dominis religiosi in tanto honore habentur.

SVNT etiam hæc tria vota ideò maximi ponderis, quia efficiunt, vt religiosi gloriosam referant victoriam de tribus capitalibus suis hostibus. Nam dum paupertatem exercent, contra vanitatem mundi; dum castitatem, contra insultus carnis, dum obedientiam, contra callidi dæmonis fraudes,

des, facilè victores euadunt Verùm ij religiosi, qui hoc armorum genere non vtuntur, turpiter sæpè vincuntur. Non fiat miles, qui arma capescere non vult, non vadat ad prælium, qui pugnare non vult.

AGE dic nunc fili, quid mereantur ij religiosi, qui parui faciunt tam sanctam, tamque salutarem obligationem, & quid illi, qui eam non seruant, cum possint, & debeant obseruare? Quæ pœna eos manet, qui eam non modo violant, sed etiam aspernantur? O quam strictam reddituri sunt rationem non solùm suarum transgressionum, verùm & alienarum, hoc est, eorum qui peruerso exemplo ipsorum inducti fuerunt, vt votorum fœdera semel cum DEO pacta, violarent. Nec enim promissio per vota hominibus facta est, sed diuinæ maiestati. non facta est inuitus, sed sponte & voluntariè Nec obligatio illius est, de re exigua & temporali, sed de re magna ac spirituali, de salute, inquam, animæ æterna. Qui parui facit, quæ Deo semel promisit, vicissim parui fiet à Deo.

De Vtilitate quam vota conciliant religiosis.

CAPVT II.

Domi-

DOMINE tantoperè grauata est natura nostra miseriarum suarum pondere, vt haud sciam, an admodum fructuosum sit & salutare obstringere se Votis; neq; enim aliud esse hoc videtur, quàm pondus addere ponderi, vndè non parum metuendum ne illa tandem, vt est imbecilla, sub onere concidat. Deinde tot obligationes vel vincula præceptorum, partim à te, partim ab Ecclesia tua nobis iniecta sunt, vt non facilè possimus iis facere satis. itaque non videtur vt nouis votorum vinculis nos irretiamus. Nec vtilitas tanta à te in nos redundare videtur votorum beneficio, quin maius se offerat periculum præuaricandi. Addo deindè Domine, tibi gratiora esse libera & voluntaria pietatis officia, quàm coacta. Quisquis autem votum ediderit compellitur stare promissis & idcircò non video quanta sit Votorum vtilitas.

FALLERIS fili, Vota enim onera sunt, quæ non grauant, sed potiùs alleuiant, ipsamque naturam iuuant ad præstantiora quæque opera exercenda. Et alæ auium onus quoddam habent, & tamen eas iuuant, vt in sublime ferantur, imò citra illas attollere se in altum non possunt. Adhæc experientia

rientia demonstrat, religiosos esse eos, qui diuinis mandatis promptissimè exactissimeque obsequuntur; vndè apparet Votorum beneficio nos iuuari ad præcepta DEI & Ecclesiæ perfectiùs obseruanda.

TOTO quoque cælo erras, si censeas ex votis vtilitatem aliquam in me deriuari, non est ita. non mihi seritur hîc neque metitur. promissiones hominibus factæ, cedunt in vtilitatem eorum quibus fiunt, ac Votorum quæ Deo fiunt meritum cedit in vtilitatem vouentis. Imò honor & gloria, quæ ex votis in me, cultumque diuinum resultant, cedit quoque in bonum vouentium. Ea enim copiosè remunero, sicut mala opera, quæ pietatem cultumque diuinum dehonestant, seuerè castigo.

QVOD deindè dicis votis eripi omnem libertatem, vt necessariò omnia religiosi agant, ac proindè nullum habeant operum suorum meritum, falleris. Nam duplex est necessitas. altera profecta à natura, & hæc tollit omnem libertatem, meritum, & omnium bonorum operum laudem. cuiusmodi est descensus lapidis in terrā. Altera profecta est à volūtate, vel à promissiōe

volun-

voluntariè facta, & hæc non solùm non eripit meritum boni operis, sed plurimum adauget, eò quod tam opus, quam promissio sit voluntaria & libera. Atque hæc est necessitas tantopere laudata à beatis in cælo, quia eos ad præstantiora & perfectiora opera exercenda impulit. Felix necessitas, quæ ad meliora compellit.

DEINDE scire te oportet fili, tristitiam & difficultatem, quam nonnunquam in promissione Voti exequenda sentimus, non tollere, nec imminuere in religiosis meritum, sed potiùs augere: nam in adimplendo voto, non solùm fit opus bonum, sed etiã tristitia illa & difficultas vincitur, quod certè non est parui meriti. Quanquam explere opus bonum voto promissum, etiam si nulla interueniat difficultas, magis meritorium sit, quàm idem explere nullo antegresso voto, nam vt paulò post dicam, ipsum votum est alicuius meriti, quo merito destituitur, qui præstat opus bonum, quod ante se facturum nullo voto promisit.

IAM & aliæ sunt vtilitates, quas vota afferunt religiosis. Primò enim indubitatum est, arborem, quò altius radices humi fixerit, hoc meliores producere fructus: sic voluntas humana, quò plus firmata fuerit in

bono

bono hoc præstantiora opera producit. Inter effectus autem Votorum vnus est, quod voluntatem in bono opere reddant firmiorem. Nemo ignorat, quàm voluntas humana varia sit & mutabilis. nunc vult, nunc non vult, quod hodiè placet, cras displicet. Nec dubium melius fore, si voluntas in bono complectendo firma esset & stabilis. Hoc autem, vt stabilis sit & inuariabilis beneficio Votorum efficitur. Nam simulatq; aliquis votum ediderit, præstare debet: & citra peccatum pedem referre non potest. Quod autem referre non possit, vtile est & salutare, atque ex Voti natura profectum. Atque hinc sequitur opus bonum ex voluntate, in bono firmata ortum, esse præstantius aliis bonis operibus, & amplioris præmij meritorium: haud secus, quàm opus prauum & noxium à voluntate peruersa & obstinata profectum, detestabilius est cæteris malis operibus, & grauioris pœnæ meritorium. Vis phreneticum nihil mali committere? quamprimùm eum vinculis astringe.

ALTERA vtilitas superiore non inferior est hæc. Omnes homines haud grauatim confitentur, vtilissimum homini esse, si Domino vniuersitatis huius sit intimè coniunctus, & deuinctus. At votis id efficitur, dum

enim homo per vota se mihi alligat, ego vi-
cissim alligor & coniungor ipsi Itaque si re-
ligiosi his sacris vinculis se alligant mihi, &
fiunt mei, quomodo fieri potest, vt ego non
me quoque tradam ipsis ? vt non præsten
eis auxilium, non defendam, non conseru
tanquam rem mihi carissimam ? Non es
sem, qui sum, si creatura me liberalitate su-
peraret. Quare conuenit, & quoniam me
fontem gratiæ sibi arctissimè deuinxerunt,
ego etiam assiduè illis communicem gratiæ
meæ beneficium, donaq; cælestia : tantam-
que eorum curã geram, ne à dęmone aliaue
creatura illis damnum aliquod inferri pos-
sit. Hoc viuit religiosus securior, quò Do-
minus cui coniunctus est, est potentior.

ACCEDIT & alia vtilitas, quod bona o-
pera omnia ex voto facta, plus apud Deum
promereantur, quàm quæ ex voto non sunt
facta. Qui amore mei seruat castitatem, be-
nè facit & meretur : sed qui amore mei vo-
tum castitatis facit & seruat, melius facit, &
plus meretur. Siquidem prior vnam tan-
tùm exercet virtutem, nempè continenti-
am : posterior verò binas, continentiam &
religionem, quę omnium virtutum morali-
um est præstantissima. Præterea, promittere
opus bonum, res bona est. Præstare autem

pro-

promissum etiam bonū est, & ideò propter vtrumq; homo laude & gratiarum actione dignus censetur. Carior ergo tibi sit, qui tibi plus boni spiritualis confert.

Cvm ergò tot bona ex Votis in nos redundent, vt Voluntatis firmitas, coniunctio cum Deo, operum meritum, optarim nunc intelligere, cur nonnulli, cum maximè lętari deberent, doleant se votis illis obstrictos? quàm causam lamentandi habeant? Nam si sacra hæc vincula magno aliquo commodo eos priuarent, mœrendi causam haberent, sed nullo priuant. Immò quemadmodūm vitis alligata arbori, vel palo, ac proindè iniuriæ ventorum minus exposita, vberiorem melioremque profert fructum, quàm si soluta sit, sic religiosi horum vinculorum beneficio firmiores sunt, & à tentationibus liberiores, maioremq; proferunt bonorum operum fructum, cur ergo sinant animū mœrore deiici? Necesse est, vt malū ei placeat, qui de bono contristatur, vel cōqueritur. Quando bonus cibus est alicui noxius, signū est stomachum prauis humoribus infectum; quare antidoto aliquo expurgandus erit, si velit euadere periculū vitæ: sic si emissio votorum, quæ bona est & sancta, alicui religioso sit molesta, signū est,

mentem eius praua aliqua disposítione infectam, quæ à medico spirituali tollenda est, vt vitæ spiritualis periculum euadatur.

Quam grata & accepta sint Deo tria religiosorum vota.

CAPVT III

FILI, quomodo non possunt non esse mihi grata & iucunda religiosorum vota, cum illa edantur in meum honorem & gloriam? qua ratione mihi cara non sint, cum sint media ad consequendam perfectionem, quam tantoperè ab iis exposco, efficacia? O quantum terrenus aliquis Dominus gloriaretur, si famuli sui aliquam ex huiusmodi promissionibus sibi facerent, sine dubio totus exultaret, etiamsi certò non constaret, an seriò & ex corde, an ex amore Domini sui, an proprij commodi causa id feciſſent. Et ego, cum certissimè sciam religiosos ex toto pectore vota illa edere, & amore mei tantùm obstringere se ad præstanda bona opera & sancta, non exultabo? non declarabo, quantoperè mihi placeant?

TRIA siquidem mihi in votis maiorem in modum placent. Primùm deuotio, qua vota fiunt. Secundò diligentia, qua obser-

uan-

uantur. Tertiò, gaudium, quo religiosi ob edita vota perfunduntur. Deuotio nascitur ex consideratione excellentiæ oblationis, quæ in votis fit. Nam religiosus Votorum tium beneficio se totum mihi offert in holocaustum, nulla parte sibi retenta. Quod si veteris legis sacrificia, quæ erant taurorum, & vitulorum tantoperè mihi placebant, quantum mihi placebunt isthæc, quæ religiosi sponte mihi offerunt? Et tanti feci solam Abrahami voluntatem, cum paratus esset sacrificare mihi suum filium Isaac, quanti faciendum mihi sacrificiũ est, quod religiosus facit de seipso, offerendo mihi voluntatem, animam, & pariter corpus? Diligentia deindè nascitur ex amore quo erga me flagrant. Qui amat, non potest expectare, aut ex torpore in aliud tempus differre, quod nouit esse pergratum amato. nihil autem in religiosa vita, mihi gratius est votorum obseruatione. Gaudium verò de factis Votis oritur ex eo, quod perpendatur, quàm grata mihi fuerit hæc oblatio. O quàm grauiter delinqueret religiosus, si ex re optimè facta, mihique gratissima molestiam & dolorem caperet. Non minus est delictum dolere de bono opere, quàm gaudere de malo. *Gen. 22.*

SVNT & alia, quæ hanc oblationem religiosam mihi gratissimam reddunt, & in magna apud me existimatione ponunt, eò nimirum quod ex syncero erga me amore ortum habeat. Primò enim religiosi his tribus votis, quasi tribus clauis voluntariè se affigunt cruci amore mei, non per tres horas aut dies tantùm, sed per totam vitam. Nec solùm crucifigunt corpus clauo paupertatis, & sensum clauo castitatis, sed etiam intellectum propriumque iudicium clauo obedientiæ, obsequendo sententiæ Superioris potiùs, quàm suæ illi contrariæ. Latro, qui me confessus est in cruce, in qua breui tempore pependit, vbi verbum vnum in fauorem meum ad socium elocutus est, tanto erga eum amore sum accensus, vt eodem die illum fecerim paradisi hæredem. Cur ergo non pari amore complectar religiosos, qui ratione votorum suorum amore mei tenentur per omnem vitam permanere in cruce? Quomodo mihi non sit gratissima eorum oblatio, qui ad amplificandam meam gloriam omnibus periculis se obiiciunt, vt enuncient Euangelium meum non solùm verbo, sed quod plus est, vitæ exemplo?

ALIA causa, cur oblationem religiosi in-

ter

ter res mihi cariſſimas reputē, eſt, quia per hęc tria prudens volens mihi largitur, quicquid largiri poteſt. nam inprimis cum ſe totum per vota dedat meo cultui & ſeruitio, non ſolùm opera mihi impertit, ſed etiam ipſum operatorem. Nullus certè ſecularis vnquā mihi tantùm largitur: agendo enim benè, tantùm mihi fructus præbet, non arborem. religioſus verò & fructus & arborē. Illud quoque mihi arridet, quod religioſi edendo vota ſua proteſtantur ſe nec amaturos alium præter me, nec alteri vlli ſeruituros præterquam mihi, idq; non ad ſtatum tempus, ſed in omnem æternitatem. Adhæc religioſi conſecrant mihi etiam omne ius ſuum & poteſtatem aliquid contra votum ſemel emiſſum faciendi, quod ſummoperè mihi placet. Secularis, exempli cauſa, qui nullo edito Paupertatis voto amore mei opibus ſuis renunciat, non dubium eſt, quin benè faciat, tamen reſeruat ſibi ius earundē iterum congerendarū, cum collibuerit. At religioſus facto Paupertatis voto, non ſolū opibus, ſed etiam poteſtati accumulandarū de cętero opū, omniq; proprietati renūciat.

TERTIVM quod in votiua obligatione mihi placet, eſt hoc, quod religioſi per illam non ſolùm donent totum, ſed etiā optimo

& perfectissimo modo donent, hoc est, vt tale imperium & ius obtineam in ipsos, vt possim eorum opera vti, quacunque in re, quando, vbi, & quantum voluero. Et hinc est, quod religiosus, non debeat seipso vti, tanquam re sua, sed tanquam mea, & mihi consecrata. Nec debet vti suo iudicio vbi, & quomodo libet, sed ad arbitrium meum, quia ego sum Dominus ipsius, & non ipse. Quare scias religiose fili, graue sacrilegium commissurum, qui aut mihi eripere quod per vota iam ante mihi fuisset consecratum & traditum, aut pro suo arbitrio illud vsurpare vellet. Quantò minus habes, & minus facis pro arbitrio tuo, tanto minus aberrabis, & minus apud Deum rationem es redditurus.

QVARTA & postrema causa, cur religiosorum vota maximè probem, est, quia, cum mundus, vti animarum defraudator, mihi sit exosus, vehementer gaudeo, si eius impostura & vanitates detegantur. Cum ergò vota religiosorum è diametro pugnēt cum mundo; eorum enim vi, opes omnes, voluptates, honores, aliæque seculi vanitates respuuntur, non possunt non esse mihi gratissima & acceptissima. Cæterùm attende fili, hunc mundi contemptum, non esse tan-

tantum declarandum ſpecie externa, vel verbis tantum, ſed factis & operibus, & idcircò non ſatis eſt vota edidiſſe, ſed neceſſariò oportet reipſa ea obſeruare. Denunciare ſe contrarium inimico bonum eſt, ſed vincere eundem meliùs. Dum religioſus facit vota denunciat ſe mundo contrarium, ſed quando præſtat promiſſionem in votis factam, vincit mundum.

Quam conueniens ſit, vt religioſi ſe obſtringant Deo tribus votis.

CAPVT IV.

FILI, admodum conueniens eſt, religioſum inſtructum eſſe trium virtutum armis, quæ per vota promiſit, nempè paupertate, caſtitate & obedientia. Quando miles ſtudet imitari ſuum Ducem, ijſdemq; cum eo ſe armis communire, vt fortiter pro Ducis arbitrio manum cum hoſte conſerat, laude & remuneratione dignus eſt. Ego ſum vniuerſæ militiæ religioſæ dux & Imperator, qui his tribus virtutibus armatur anteceſſi, omnibusq; mei imitatoribus modum confligendi demonſtraui. His armis vici inimicos & triumphum de victis egi. Quocirca conuenit, religioſos, qui ſub meo ve-

xillo merent, & eoſdem mecum oppugnaturi ſunt hoſtes, eadem arma capeſcere, quibus ſi quemadmodum oportet, vſi fuerint, victoria minimè dubia potientur. Miles, qui conatur ſuũ imitari ducem, etiãſi eius robur non aſſequatur, tamen præmio dignus eſt.

CONGRVIT etiam, vt religioſus omnia abiiciat, quę profectum ſpiritualem poſſent retardare. Tria ſcholari facienda ſunt, vt in diſciplinis humanis progreſſum faciat. Primò enim debet omnia ſtudiorum obſtacula remouere, vt ſunt voluptates carnis. Deindè, quicquid poteſt impedire verum in ſtudiis progreſſum, vt bonorũ temporaliũ ſollicitudinem. Tertiò, eligere mediũ efficax ad capiendã Magiſtri doctrinã, quod eſt Magiſtro, legibusq; ſcholaſticis ſedulò parere. Hæc tria impedimenta & religioſi Votorum ſuorũ beneficio remouẽt. Nam voto caſtitatis reſcindunt omnes carnales illecebras Paupertatis, curam rerum temporalium. Obedientiæ verò, obſequuntur omnibus Ordinis ſui legibus, & Superiorũ mandatis. In via ſpirituali tollere impedimenta eſt ambulare & progredi in ſpiritu.

FILI, quia certum & fixum apud te eſt, mundo, omnibusq; eius vanitatibus renunciare, conuenit vt renunties perfectiori, quo

fieri

fieri potest, modo. Quidam deserunt illum affectu, vt sunt illi, qui nullo vanitatum desiderio tanguntur, & faciunt benè. Alij deserunt reipsa, vti sunt, qui religiosum statum ineunt, & hi faciunt meliùs. Alij præterea vtroq; modo deserunt, & hi perfectissimè illi renuntiant; atq; hoc ipsum faciunt mei religiosi, quando Paupertatem, Castitatem & Obedientiã vouẽt. Inimicus quò longius à te abest, hoc minus tibi nocere potest.

MVNDVS tribus vtitur retibus, quibus multi sunt irretiti & capti. Primum textum est ex auro & argento, hoc est, diuitiis terrenis; quod quia oblectat aspectum, amatur ab iis qui eo continentur, & ab iis, qui foris sunt, desideratur. Hoc rete euadunt religiosi per votum Paupertatis, Paupertas enim sublato ab oculis concupiscentiæ velo facit, vt rete licet ex auro argentoque consutum sit, nihil aliud videatur quàm rete, & prædurus carcer. Alterum rete confectum est ex visco voluptatum carnis, quò qui capti sunt, quantò plus se commouent, tanto magis inuoluuntur. Ab hoc reti liberantur religiosi per votum castitatis, cuius puris candidisq; alis subleuantur in altum, & illecebrarum carnalium glutino exempti, similes angelis efficiuntur. Tertium rete

potiùs

potius imaginariũ & phantasticum, quàm solidum est, quo capiuntur, qui de seipsis præsumunt, vanosque huius mundi honores & existimationem aucupantur. Hoc rete effugiũt religiosi per votum Obedientię, quo vti subiiciunt se aliis, ita non cogitant nisi de humilitate & suiipsius contemptu amplectendo. Degere in mundo, & in aliquod rete incidisse, magnum non est. at versari in religione, & in mundi casses incidisse, res est omni lacrymarum fonte plangenda.

IAM verò & alia de causa congruens est, vt religiosi tria dicta vota edant, nempè, quia ego eos delegi & vocaui ex mundo, ad patranda eximia & heroica aliqua facinora: quocirca & opus est, vt animo sint generoso & forti, eumque rebus gestis declarent. atque idem expoſcit sublimitas religiosi status, in quo eos collocaui. Addictũ esse bonis his caducis & fluxis, animi vilis est & abiecti similiter deditum esse carnis illecebris, beluinum potius est, quàm humanum. Conuenit ergò religiosos longissimè ab vtraque vilitate abesse; quod certè faciunt per Vota, & dum generosum suum animum demonstrant, cauendo per virtutem, ad quod natura, sensusq; omnes inclinant.

nant. Verum Domine non video, quæ generositas per obedientiæ votum declaretur, quo religiosi omninò se subiiciunt aliis? Sed nec satis capio, quemadmodum vile sit addictum esse opibus & voluptatibus huius vitæ, & non sit etiam vile obedire alteri & seruire etiam in rebus abiectissimis?

FILI, facilè ostendis te neque intelligere, neque ad iustam libram res expendere. Si enim tu arbitreris religiosos per obedientiæ votum aliis, quàm mihi subiectos, vehementer falleris. Et si putes, amore mei seruire in rebus humilibus, vel subesse aliis ex mea ordinatione, sit res abiecta, multò amplius falleris. In aula mea longè alia est viuendi ratio, quàm in mundo, vbi dignitas sumitur ex officio quod exercetur, & non ex fine & scopo qui spectatur, & ideò omnes quærunt potiùs imperare aliis, quàm subesse, omnes anhelant ad dignitates & honores. Et quia hæc in magno precio sunt apud homines, idcircò & illi qui illas dignitates gerunt, in magna sunt existimatione, & pro viris magnis habentur. Sed longè aliter res se habet. Si enim finis, ob quem aliquid agitur, sit vilis & abiectus, actiones quoque necesse est abiectas esse. Cum ergò mundi amatores omnia

omnia ſua faciunt propter finem obiectum, vt ob pecuniæ quæſtum, exiſtimationem nominis, vanam gloriam, vindictam, & alia id genus conſequens eſt eorum labores & actiones quoq; eſſe infimo loco habendas. In mea verò aula oculus præcipuè in finem, qui ſum ego, coniicitur, & à me omnes humanæ actiones mutuantur ſuam dignitatem & valorem. Cumque ego omnes actiones à religioſis amicis meis & filiis amore mei factas, remunerem æterna gloria, nulla debet vel parua vel abiecta æſtimari, ſed magna & præclara. Qui verò amore mei ſe alteri ſubiicit, luculentum argumentum præbet animi generoſi & magni, quia vt mihi, ſuo Domino gratum faciat, omnem lapidem mouet. Itaque fili mi, non debes æſtimare vile, quod amore mei, & ad gloriam meam fit, quia habenda ratio eſt, non tam rei, quàm affectus & finis propter quem illa fit. Vile non eſt, quod in cælum vſq; penetrat, & cæleſti mercede compenſatur. Verè autem vile eſt, quod humi hæret, & precio terreno compenſatur.

Quo

Quo sensu religiosa perfectio consistat in tribus votis.

CAPVT V.

DOMINE, si perfectio religiosa sita est in caritate perfecta, & coniunctione cum summo bono, hoc est, tecum, quid necesse est nos occupari in aliis virtutibus, & secessionem facere ab ea, quæ est finis noster? Nosti, Domine, caritatem esse omnium virtutum reginam, & ab ea totam gratiæ legem pendere; itaque si ad eam comparandam omnes curas studiaque conferamus, nihil est quod magnoperè de aliis virtutibus laboremus. Sola illa si adsit, nihil deesse potest. Verum est, fili, perfectionis religiosæ finem & scopum esse perfectam caritatem, & vnionem mecum tuo creatore, sed quomodo tu poteris consequi finem sine debitis mediis? Quomodo vis vniri mecum, nisi remoueas ea omnia, quæ te impediunt?

NORIS itaque ad intimam illam cum Creatore tuo, id est, mecum vnionẽ, in qua consistit perfecta caritas, peruenire internis affectionibus mentis, cum spiritu religionis, ad quam à me vocatus es, consentientibus. Tria autem affectum humanum impe-

impedire queunt, quo minus mihi coniungatur Primùm est cupiditas opum, aliorũque bonorum fortunæ, quæ vbi humani cordis partem inuaserit, non sinit totum hominem ad me conuolare. Vndè adolescens, cui ego dixi, si vellet esse perfectus, venderet omnia quæ haberet, daretque pauperibus, & tunc veniens me sequeretur, tristis abscessit, quia plus æquo addictus erat possessionibus, quas multas habebat. Hic affectus tollitur voto Paupertatis, quo religiosus renunciat omnibus quæ in mundo possidet, vt toto affectu, animique sensu cum Domino suo se vnire possit. Alterum impedimentum est, amor voluptatum carnalium, quæ hominem excæcant, quo minus aspirare possit ad mei vnionem, quæ fit per amorem spiritualem. Vndè in parabola Euangelica quidam ad nuptias inuitatus, respondit se non posse venire, eò quod vxorem duxisset. Hic amor carnalis prorsus tollitur Voto Castitatis. Tertiùm, quod plus impedit, sed minus agnoscitur, est voluntatis humanæ inordinatio, quæ vti ad imperandum aliis propensa est, ita ægrè se submittit voluntati alienæ. Atque hæc inordinatio eiusmodi est, vt hominem à me diuellat, & idcircò in Euangelio dixi, Qui vult veni-

Mat. 19.

Luc. 14.

Mat. 16.

venire post me, abneget semetipsum, id est, propriam voluntatem, & renuntiet quasi sibiipsi. Nec aliud est vniri mihi, quam seipsũ deserere, & totum se mihi dedere. Frustra laborat vnire se mihi, qui non prius à seipso discesserit. Hoc tertium impedimentum tollitur Voto obedientiæ, cuius beneficio religiosus se aliis subiiciendo, sinit se secundùm voluntatem meam gubernari. Cum igitur perfectio religiosa consistat in perfecta caritate, & intima mecum vnione, Vota verò sint media ad illam obtinendam, eiusque impedimenta remouenda, destinata, meritò dicitur in tribus votis perfectionem religiosam sitam esse.

ADHÆC cum tria vota sint religiosæ vitæ fundamenta, conuenienter etiam dicitur perfectionem huius pendere ab illis, sicut ædificiorum materialiũ perfectio pendet a suis fundamentis. Tria autem necessaria sunt in fundamentis. Vnum est, vt in ædificiis eorum cura inprimis habeatur. quò enim firmiora erunt fundamenta, hoc ædificium erit firmius & stabilius. Alterum est, vt conseruentur intacta & immota. Nam ex minima eorum commotione, maximæ sequuntur rimæ in muris. Tertium est, quod ædificium non retinet nomen ædificij,

ficij, vel domus, si fundamentum absit, sed appellatur casa vel tugurium, in quod abii ci solent sordes. Cum ergò tria vota sint re ligionis fundamenta, hæc tria quoque inil lis obseruari debent. Ac primò quidem, v religioso prima cura incumbat de votis, e quod ab illis vita & essentia religiosi hom nis dependeat. Si vota firma & immot constiterint, totum quoque ædificium spi rituale religiosi immotum perstabit. Secun dò, vt vota conseruet intacta & inuiolata nam minimus in votis lapsus, notabilem in ctúram in disciplina religiosa facit. Deni vt sublato fundamento domus nomen si non retinet, ita sublatis votis religiosu non religiosus amplius, sed apostata dic tur, qui semel è suo statu delapsus facilè hu us mundi sordibus inquinatur. Quando n dices, quæ sunt quasi fundamenta arborum læduntur, facilè exarescunt arbores, aut pa rum valent.

PRÆTEREA, constat religionem esse statum, & locum quietis animi, in quo ho mo liber à fluctibus, tempestatibusq; secul periculosis, tanquam in tranquillo & secu curo portu requiescit, ac vitam spiritalem & tranquillã ducit. At hoc religio maximè consequitur Votorum præsidio, quę fouent

& tu-

& tuentur religiosam tranquillitatem, liberando à curis & molestiis huius mundi solicitudinibus Ob quam etiam causam dicitur tribus votis perfectionem religiosam contineri. Primum igitur votum Paupertatis efficit, vt religiosus sit solutus cura bonorum, temporalium aut conseruandorũ, aut augendorum, aut etiam dispensandorũ. Votum deinde Castitatis eximit eundem à solicitudine rei familiaris, vt vxoris, liberorum, & familiæ quæ tam grauis crebrò est, & permolesta, vt multos adducat in desperationem. Denique Voto Obedientiæ religioso adimitur anxietas, qua plerique hominum torqueri solent, dum statuere secũ non valent, hocnè vel illud aggredi debeant, vtrum conducibilius sit hanc vel illam rationem viuendi tenere. At religiosus, qui per votum obedientiæ se in omnibus, & per omnia totum arbitrio Superiorum dirigendum commisit, à superuacaneis huiusmodi angoribus & dubiis liberrimus est. Fili, trãquillitas animi tibi commendatissima esse debet, quia inde pendet tua salus. Vbi perturbatio est, & inquietudo, non potest esse spiritus, nec deuotio. Et scias, quãdiu in religione vota tua seruaueris, te in pace & quiete religiosa vicissim ab iis seruatum iri,

AD extremum perfectio religiosa ideò est attributa Votis, quod perficiat holocaustum, quod religiosi de seipsis Deo offerunt. In veteri lege holocaustum totum igne cō sumebatur in odorem suauitatis, & citò ab soluebatur eius oblatio. At holocaustum religiosi perdurat in omnem vitam, & qui propius à fine abest, hoc suauiorem odorem reddit. Atque ideò mihi fit votum perpetuæ paupertatis, perpetuæ castitatis, & perpetuæ obedientię. In holocausto paupertatis mihi offeruntur omnia bona temporalia. In Castitatis, bona corporis. In Obedientiæ, bona animi. hoc enim ipso quod mihi offeratur voluntas, vna quoq; offeruntur omnes potentiæ & facultates eius imperio subiectæ. Cumq; nihil aliud offerendum restet, meritò per vota integrum perfectumq; offertur holocaustū. Status Virginalis in se perfectus est, & mihi pergratus: sed status religiosus multò perfectior est, mihiq; gratior, quia Virgines amore mei tantùm se priuant voluptatibus carnis: at religiosi etiam propria voluntate, ac mihi donant quicquid habent. Non parum dat, qui donat quicquid habet, nec recipiet parum in cælo, qui remunerationis loco recipiet meipsum.

IAM verò iudicent omnes, velim, quanti

fieri

fieri debeant religionis vota, quandoquidem sunt religiosæ vitæ fundamenta, sunt conseruatores tranquillitatis animi tantoperè ab hominibus desideratæ, sunt efficacissima media ad consequendam perfectionem, & ad offerendum perfectum Creatori sacrificium. Miles magni facit equum, & arma, quorum beneficio tueri potest temporalem vitam & victoriam referre ab inimicis. Et religiosus nullo in precio habebit Vota, quorum opera conseruat vitam spiritualem? victoriamque obtinet non solùm contra inimicos suos, sed etiam contra seipsum? O quantus erit horum trium Votorũ fulgor in cælo, quando trium preciosarum gemmarum instar collocabuntur in corona gloriæ? Si enim nunc eædem quasi obtectæ & absconditæ nunc in terra tamen tantum reddunt splendorem, vt huius mundi Dominis sint admirationi, quantus earũ splendor erit in cælo, vbi omnia patebunt? Non dubium est, ingentem fore lætitiam & pacẽ eorum qui has gemmas secum in cælũ transtulerint, sicut contra magnus erit dolor & confusio eorum, qui eas, dum viuunt, non eo loco habuerunt, quo debuerunt. Si tu flocci facis eas, quæ te ad magnũ honoris fastigiũ euehere possunt, quid tandẽ magnifacies?

De perfecta votorum obseruatione.

CAPVT VI.

FILI, in mundo magna habetur ratio honoris proprij, & existimationis familiæ, & idcircò tot regnant odia & inimicitiæ, multæ cædes fiunt, ad inopiam familiæ redigiuntur, ac quod deterius est, multarum animarum fit iactura. Ac totum hoc malū non aliundè nascitur, quàm quod omnem operam nauent, stultis mundi legibus præstandis, ad quas tamen præstandas Christiani neque obligantur, neque voto vllo obstricti sunt, imò contratiis meis legibus sub comminatione pœnæ æternæ absterrentur? Quod si seculares homines cum tanto fortunarum, vitæ, & salutis discrimine legibus tam perniciosis studiosè obsequuntur, certè maiori studio & accuratione religiosus obsequi debet Votorum legibus, quæ sunt edicta spiritus sancti, ad salutem animæ & gloriam meam attinentia. Certè qui mundi, hostis sui decreta anteponit Dei Creatoris sui decretis, pugnat contra seipsum. Fili verum est, à mundo vilem & vecordem eum hominem reputari, qui non vtitur lege vindicandæ iniuriæ. At si amore mei iniuriam condonet, apud me omnesq; virtu-

virtute præditos censetur magnanimus, & prudens, quia vincit seipsum. & legem Dei pluris facit quàm mundi. Verùm, qui in religione præuaricatur vota sua, à mundo contemnitur, religiosis censetur infamis, ab aliis omnibus hominibus damnatur vt ingratus, eò quod beneficio votorum ad sublimem statum, nempè religionis, erat prouectus, & per eadem multis donis & charismatis spiritalibus locupletatus. Et quis non videat, violare vota, non esse aliud, quàm promissis non stare, abligationique suæ non facere satis? Quis non aduertit, perinde esse, ac benefactorem suum & promotorem aspernari? Quamobrem non debet aspera tibi videri sententia, quam in Euangelio contra illos pronunciaui, quando dixi, non esse aptum regno Dei, qui manu semel aratro admota retrò respexisset. In cælo non coronantur incipientes, sed in bono vsque ad mortem perseuerantes. *Luc. 9.*

In Scripturis meis quoque dicitur Deo plurimum displicere promissionē infidelē. & rectè. Nam qui fidem non seruat in præstandis promissis per votum factis, proximè eo progreditur vt religionem vili pendat, ac proindè & ipsa vilipendatur, si retineat homines qui suo muneri non faciunt satis. *Eccl. 5.*

Nec enim paruum in animis secularium oritur offendiculum, si notent religiosos, deficere in præcipuis quibusque capitibus, in quibus vertitur summa religionis. Mihi quoque non minimum dedecus accedit. nam cum ego sponsiones per vota factas probarim, si non vt conuenit, præstentur, iniuria quadantinus afficior ab iis, quos tantoperè dilexi, & omni beneuolentia sum complexus. Maximum adhæc damnum accedit ipsis transgressoribus, quia in apertum se coniiciunt discrimen, apostatandi, & in laqueos dæmonis se totos induendi. Quid verò mirum, si nonnunquam etiam in hac vita, meæ indignationis arcum in illos intendo? Qui potest se ære alieno liberare, & ne liberet, fallit, nec venia, nec commiseratione dignus est. Minus malum, est, vouere, quàm votum semel factum retractare.

NON latet dæmonem capitalem perfectionis religiosæ hostem, quantum boni religioso afferat integra Votorum obseruatio, nulla siquidem res citius & securius religiosum ad culmen perfectionis prouehit, quàm cupiditatum carnalium mortificatio. Et quid aliud est Vota præstare perfectè, quàm seipsum mortificare? Votum Paupertatis mortificat cupiditatem congerenda-

rum

rum opum. Votum Castitatis mortificat illecebras carnis. Obedientiæ verò, facultates animi, voluntatem & iudicium proprium. Atque hæc causa est, cur dæmon tantoperè laboret, vt religiosis persuadeat in prę-uaricatione vtorum nullum conscientiæ scrupulum esse faciendum, non modo vt eos à perfectione consequenda retardet, sed quia fundamentis semel concussis, vel labefactatis, non est illi difficile totam domum euertere. Et malum signum est, quando mali initium datur à parte principali.

O quàm mihi cari sunt illi religiosi, qui varia media remediaq; indagant perueniendi ad perfectam Votorum obseruationē, tum vt ædificij sui spiritualis fundamenta magis corroborent, tum vt dæmoni grauius bellum indicant. Sunt nonnulli, qui quotidiè apud animum suum vota mihi semel facta renouant, & gratiam supplices à me flagitant perfectè illa obseruandi. Quod etiā atque etiam mihi placet, facilè enim indicant, quanto desiderio intus flagrent exactè omnes lapsus cauendi, & vota præstandi. Hoc gemino desiderio, integrè nempè satisfaciendi votis, & exposcendi gratiam anima primos quasi passus facit, ad consequendum optata. Crebrò renouare Vota se-

mel facta, non est aliud, quàm sæpè infigere clauos, quibus religiosi mecũ in cruce sunt confixi, vt si fortè aliquo modo soluti fuissent, fortius infigantur. Atque hoc medio religiosi reddũtur in obseruandis votis fortiores & constantiores.

SVNT & alij, qui non minus mihi cari sunt, vt qui tentatione aliqua contra vota oborta, non disceptant secum, foretnè magnus an exiguus lapsus id facere quod tentatio suggerit, possitnè fieri sine peccato lethali, nec ne? sed mox simulatq; cognouerint eam votis aduersam repudiant, haud secus quàm is, in quem fortè scintilla ignis dilapsa est, non diu expendit, possitnè multum vel parum exurere, sed illicò eam vel excutit, vel opprimit. Qui paruam imperfectionem contemnit, quàm facilè effugere potera, paulatim dissimulat & magnas. Audi, fili. Nonnè tu edidisti vota tua amore mei, & vt care mihi seruitium præstares? Nonnè eadem obseruas, vt maiorem beneuolentiam apud me concilies? Cum ergò exploratũ tibi sit minimos etiam defectus contra Vota commissos mihi displicere, cur ab illis non abstines? Si in rebus ad corpus spectantibus, nullum vitium toleras, nec paruum, nec magnum, cur in obseruatione

votorum, qua nihil in regione præstantius est, defectum vllum permittis? Facere aliquid quod mihi displicet, licet exiguum sit, non est Zelosi amaioris, qualem omnem religiosum esse desidero.

Est aliud insuper medium, cuius opera ad exactam votorum obseruationem veniri potest. quo ferè vtuntur Religiosi spiritu ardentes, imitantes eorum mores, qui magna fame vel inedia laborant. Hi enim magno studio quærunt quod manducent, nulloq; discrimine, quicquid offendunt, siue calidum, siue frigidum, siue benè, siue perperam paratũ & coctum absumunt. Sic religiosi feruentes magna cupiditate ducuntur ad eas virtutes exercẽdas, quas per vota promiserunt, idque tam in paruis, quàm in magnis rebus, tam in duris, quàm in suauibus & iucundis. Exercitare autem se in votis, crebrisque Paupertatis, Castitatis & obedientiæ actibus se assuefacere, admodum facilem & expeditam reddit Votorum obseruationem. Frequentatio enim actuum comparat religiosos ad acquirendum habitum. Habitus verò natura sua hominem promptum & agilem reddit ad virtutem exercendam, & consequenter ad vota perfectè obseruanda. Exemplum

plum perſpicuum habemus in arte Muſica: nam quo quis in ea frequentiùs ſeſe exercet, hoc promptius, & peritius cantare conſueuit.

HINC intelligi poteſt, quàm grauiter periculoſeq; errent, qui nihil penſi habent leuiter in obſeruatione votorum præuaricari; non animaduertentes eſſentiam religioſi eſſe in votis, ea ad animæ ſalutem pertinere, ab eadem omnia bona malauè religionis, ſcandalum vel ædificationem, gloriam item meam, quia ſunt promiſſiones mihi factæ, ac denique trium præcipuarum virtutum in votis comprehenſarũ meritũ pendere. Itaque ſi hîc opus non eſt cura & vigilantia, ne officio noſtro deſimus, haud ſcio qua in re opus erit. Et ſi hoc ſtudium cordi non ſit, non video quid aliud cordi eſſe religioſo debeat.

De tribus votis religioſorum ſpeciatim, & primo de Voto paupertatis.

Quam conueniens ſit Religioſos eſſe amantes Paupertatis.

CAPVT VII.

Fili,

FILI, non cõuenit à seruo repudiari, quod Dominus eius amplexus est. nec decet discipulum alij lectioni ediscendæ operam dare, quàm Magister præscripserit. Ego dũ versarer in terris, elegi, cupideq; amplexus sum Paupertatem, hanc docui, & proposui omnibus qui me secuti sunt, & nunc quoq; prorsus eam commendo omnibus qui ad vitæ spiritualis perfectionem aspirant. Tam pauper equidem natus sum, vt ne angulus quidem in domo aliqua repertus fuerit, qui me in mundum proditurum exciperet. Vndè paupercula mater mea coacta fuit secedere in stabulum, vbi & natus sum, ac in præsepio depositus. Natus sum ex matre paupere, pauperum instar sum educatus, inter pauperes conuersatus, pauper vsque ad mortem vixi. In morte verò longè fui pauperior, quia non habui, vbi afflictum caput reclinarem, ac deniq; in duro crucis lecto meam vitam clausi. Videant nunc religiosi, an non conueniat, ipsos ad paupertatem esse affectos, ab ipsis spontè promissam, & à me tantoperè amatam. Videant, num congruat sub tam egenti capite latere membra splendidè ornata. Non meretur famulus manere in domo, qui contentus non est vti eodem victu & amictu, quo Dominus.

Nec

Nec ego duntaxat, sed Apostoli quoque mei fuêre paupertatis amatores, qui præterquam quod essent pauperes piscatores, quando eos è mundo euocaui, etiam modicum illud quod possidebant propter me deseruerunt, intimo pectore paupertatem tanquam fidam comitē complexi. O quantoperè mihi placuit, quando à me vocati nulla interposita mora dereliquerunt parentes, nauem, retia, & quicquid habebant, vel habere in hac vita poterant. Et quamquam hæc Paupertatis actio magna & heroica fuerit, quia dereliquerunt omnia; tamen non hic pedem fixi, sed præterea volui eos in eadem paupertate exercerì, viuendo mecum ex aliorum eleemosynis; vnde misi eos prædicatum per castella, sine sacculo, & pera, nullis rebus necessariis instructos, vt spem omnem collocarent in diuina prouidentia. Religiosus quò minus habet, minoréque rerum temporalium tenetur desiderio, hoc ad iuuandas animas aptior est. Quando verò postea eos amandaui prædicandi Euangelij causa per vniuersum mundum, ibantnè onusti sarcinis, aut magno famulorū comitatu stipati, vel certiores reddebant de aduentu suo ciuitates, quas adibant, vt cōmeatu omnia reperirent instru-

cta ? Non certè. sed ibant pleni Spiritu sancto, doctrinæ meæ sarcina grauidi, & ardenti cupiditate conuertendi ad fidem gẽtes incensi, instar pauperum ingrediebantur castella & vrbes. In quibus dum essent, me pauperem pro concione annunciando, nudumq; in cruce mortuum, in animis auditorum ingentes motus excitabant. Qui dum animaduerterent Apostolos nec aurũ, nec argentum quærere vel recipere, valdè admirabantur: cum verò pręterea viderent eos tam longinqua per orbem totũ itinera suscipere in summa rerũ inopia, tantùm ad procurandam aliorum salutem, ipsamque inopiam & paupertatẽ amare, pœnè stupore defixi hærebant: quare & faciliùs humeros suos Christi iugo subdiderũt. Non benè cohærent ista duo, lucrifacere animas, & simul suis commodis & recreationibus vacare.

Si deinde, fili, te conuertas ad religionis fundatores, comperies eos tãtos fuisse paupertatis amatores, vt passi non sint dari locum Meo & Tuo, existimantes his duobus vocabulis tanquam gladiis è medio tolli omnem vim paupertatis. Et si fortè aliquem deprehendebant proprietariũ, eũ non secus ac peste infectũ exterminabant. Dicant nũc qui tãtoperè reformidãt nomẽ Paupertatis,

quo-

quorum sint discipuli & imitatores? Qua demum regula permittit, vt proprium habeant peculium? Cur accumulandis nummis operam dant, an vt in suum conuertant vsum, vel vt aliis relinquant? Vt vt faciant, non alia de causa opibus coaceruandis student sæculares, quod ergò discrimen inter religiosos & seculares intercedit? Hoc certè non est per violentiam rapere cælum, sed affligere se ad congerendam terram. Non ita se habet doctrina, quam ego tradidi, nec illi sunt suorum fundatorum & maiorum sectatores, quare cum non eadem cum illis premant vestigia, ad perfectionis, quem illi fixerunt, scopum non collimabunt.

DOMINE, si non subiicias nobis aliquod calcar, quo compellamur amare Paupertatem facilè repudiabitur & deseretur, cum enim in speciem ignobilis sit & vilis, miseriæque proxima, parui æstimatur. Fili, hallucinaris plurimum, quia non vteris distinctione. Paupertas coacta, & ex mera necessitate profecta res vilis est, & mundo exosa. Sed Paupertas voluntaria, cum sit virtus sublimis & heroica, quomodo potest esse ignobilis, & parui precij? Si illa suis pedibus calcat omnes margaritas & thesauros mundi, quomodo potest esse misera? Ad

aman-

amandam autem illam, quid magis incitare potest, quàm intelligere me Dei filium, & Dominum maiestatis, cum degerem in terra, mihi desponsasse paupertatem, eamque amasse & retinuisse vsque ad mortem? Hoc vnum nonnè merito deberet quemlibet religiosum impellere ad eam diligendam, colendamque. In omnibus siquidem aulis is in maiori honore & existimatione est, ad quem Princeps magis afficitur.

Vis autem intelligere fili, quis sit verus amator Paupertatis? Ille, inquã, est, qui plus illa oblectatur & gaudet, qui amplius quàm alij, illam laudibus extollit, & desiderat, qui non modo opere, sed ne signo quidem illã cogitat offendere; qui deniq; eam complectitur tanquã cæleste margaritũ, quod animam in cõspectu creatoris peruenustã reddit. O quantũ mihi quondam placebant religiosi, qui tanto amore prosequebantur paupertatẽ, vt omnes huius mundi opes pro quisquiliis & sordibus reputarent, si cum ea conferentur. Atq; vt hanc ardentem erga eã affectionem patefacerent appellabant Paupertatem suam Dominã & reginam & tanquam dominam & reginam eam tractabãt. Neq; id tantùm faciebant in primo cõuersionis feruore, sed quò amplius in diuino

seruitio consenescebant, hoc strictiùs eam complectebantur & venerabãtur Atq; ideo vehementer vrgebãt in extrema mortis hora spiritum suũ Deo in nuda humo reddere

E contrario non parũ mihi displicet videre nonnullos religiosos tam parum Paupertati addictos, quippe quàm vituperent & velut rem abominandam horreant, adhuc etiam respuant. Quo fit, vt in victu, mictu, & habitatione commodè & lautè velint tractari, ac commodiùs quidem, quàm ipsi se tractabant in seculo; ac si pro arbitrio non omnia quæ volunt obtineant, contristantur, & requietem non habent. Quæ verò infelicitas ista? Renunciant mundo, vt mihi seruiant, abdicant se omnibus diuitiis cõmoditates negligunt, votum Paupertatis spontè edunt, vt tranquillam vitam semper agant, & postquam ingressi sunt religionem sinunt se perturbari propter res quas in mũdo deseruerunt. Quod non est aliud, quàm canere palinodiam, & reuocare votum perpetuæ Paupertatis Quid enim interest, siue inhies opibus terrenis, siue recreationibus & commoditatibus superuacaneis? cum vtrumque repugnet religiosæ Paupertati? Plus autem displicet mihi, esse quosdã, qui cum in religione non inueniunt omnium

rerum

terum copiam sicut in seculo, respiciunt retrò, & nunc ab hoc seculari, nũc ab illo huiusmodi cõmoda postulant, & in eorum seruitutẽ se tradunt. Et si id facere ad vsum & vtilitatem propriam, malum est, quanto deteriùs erit eiusmodi exigere à secularibus vt donentur aliis? Fierinè potest, vt religiosus aliquis inueniatur, qui se obstringat secularibus hominibus, vt beneficium conferat in alios? O infamem talis religiosi amentiam, qui tam vili precio tam multis se prostituit. Ex hoc fonte pessimo dimanãt magna parte oẽs dissolutiones & laxitates, quas proh dolor in quibusdã religionibus oculis cernimus. Væ religioni, cuius religiosi amatores paupertatis non sunt, quia per nimiam morum vitæque licentiam fiunt religionis ruina & excidium.

De dignitate & laudibus religiosæ paupertatis.

CAPVT VIII.

FILI, non sine causa in Euangelio meo paupertati principem locum inter beatitudines attribui, & pauperibus regnũ cælorũ addixi. nam sine perfectione Euãgelica impossibile est peruenire ad beatitudinem. Cum ergò paupertas sit primũ perfectionis

Euangelicæ fundamentum, iure illi debe-
tur principatus. Qua de causa omnes illos,
quos ego vel ad me sequendum inuitaui,
vel perfectionis cupidi fuêre, si sponte non
renunciabant huius mundi opibus, vel non
se voluntariè fac ebant pauperes, remisi ad
primum fundamentum, vt nimirum prius
omnia relinquerent, & deindè me seque-
rentur. Perfectio non vult homines ligatos,
sed liberos & solutos.

DOMINE, si regnum cælorum sit pro
pauperibus, copiosissimus erit beatorum
numerus, cum in mundo plures sint pau-
res, quàm diuites. Verum est fili, regnum
cælorum esse pro pauperibus, sed non oēs
pauperes sunt pro cælo, at ij tantum qui de-
ligunt esse pauperes, quorum admodum
sunt pauci. Nonnulli sunt, qui nihil quidem
in hac vita possident, sed tamen animo op-
tarent possidere. cuiusmodi paupertas, non
solùm non virtus est, & laude digna, sed eti-
am multos spoliat felicitate æterna, tum
quod effrenatam habendi cupiditatem o-
mnium malorum radicem non tollat, tum
etiam quod eandem eousque inflammet vt
cor humanū prorsus reddat inquietū. Vnde
fit, vt plurimi eorū dedant se latrociniis, &
furtis, oēsq; de cælo abiiciant cogitationes.

Alij

Alii amplas quidem possident facultates, sed in eas non defigunt affectum, imò parati sunt eas ad meum arbitrium, quoties libuerit, relinquere, cuiusmodi pauperes spiritu perpauci inueniuntur in mundo. Alii denique vt in vera virtute colenda sint liberiores aspernantur, & deserunt omnes terrenas facultates, non modo cordis affectu, sed etiam operis effectu. Sic fecerunt mei Apostoli, multíque alij religiosi, qui nunc fruuntur diuitiis cælestibus. Atque hæc est paupertas religiosa, cui addixi regnum cælorum, in quo religiosi omnes illustri glorię corona redimentur. Et horum numerus etiam perexiguus est.

Si regnum cælorum pecunia emi posset, aut cum regnis, opibusuè terrenis commutari, maxima esset dignitas & excellentia bonorum fortunæ, & quilibet ea tanquam animam suam diligere posset. Hanc excellentiam ego impertij paupertati religiosæ, quæ ex bonis terrenis conficit scalam qua ascendat in cælum. Contra, huius sæculi diuites, ad obtinendum aurum & argentum humum effodiunt, & in ea cor suum, abdicato cælo cum bonis cælestibus, sepeliunt. Pauper verò religiosus, quoniam cor suum dirigit in cælum, cælesti remuneratione se

dignum præstat. Qualem quisque viam ingressus fuerit, talem & terminū comperiet.

PRÆTEREA religiosus per votū Paupertatis efficitur Superior toto mūdo. Nam cum in hac vita nihil expetat possidere tanquam ꝑpriū, à mundo eiusq; rebus nō pendet, sed velut superior illo, omnia eius finibus comprehensa, nihili facit. Contra accidit hominib⁹ seculo addictis, qui tot subiecti sūt dominis, quot res sunt, quas habere & possidere desiderāt. Adhæc paupertas religiosa potentiā quandam & robur ostendit aduersus ipsā naturā humanā. Hæc enim hominē inclinat ad expetēdas opes & cōmoda corporis, vt ciborū & vestiū lautitias, ludos & recreationes; paupertas autē religiosa hæc omnia ꝑpter me sibi subtrahit, ac ꝑinde naturā vincit. Quomodo autē mihi non polsunt non esse in delitiis, q prudentes volētes solo amore mei incēsi cōmodis illis licitis, & ad quę ipsa natura eos inuitabat, expoliāt?

AVDI, fili, & aliam Paupertatis religiosę præstantiam. Si quispiā pauper & inops, industria sua, vel alia ex causa euadat diues, mūd⁹ nihil miratur; miratur autē vehemēter, si diues spontè efficiatur pauper, & talis quidē, qui non solùm oēs opes suas abiiciat sed etiam omni facultate eas decetero

possi-

possidendi se exuat. ob quam rem hoc magis stupet mundus, quò nihil maiori in precio habet quàm opes terrenas, nihilq; studiosius refugit quàm paupertatem. Nec aliundè hoc prouenit, quàm quia non intelligit religiosæ paupertatis præstantiam & dignitatē. Dicat, quæso, mundus. Possitnè cũ omnibus suis diuitiis, & voluptatibus exsaturare cor humanũ, vt conquiescat? Non saturare cor humanũ, vt conquiescat? Non sanè. quia quot quot mundi sectatores sunt, quò plus habēt, hoc amplius habere desiderant, & cum satiari nequeant partis, ad verā quietem, tranquillitatemq; animi nunquā perueniunt. At religiosus, qui neq; propriũ quicquā habet, nec habere desiderat, omni re modica contentus viuit. Nonnè hæc est quædam fælicitatis æternæ participatio, vt homo sicut cum gloria cælesti aliquādo viuet content⁹ in cælo, sic cũ paupertate religiosa quietus & trāquill⁹ nũc degat in terra?

Nec hoc quoque minimum paupertatis religiosæ encomiũ est, quod ipsa non solùm tuetur & conseruat religiones, verum etiam omnium religionum quotquot fuerunt, vel adhuc sunt in Ecclesia Dei, prima fundatrix extiterit. Sunt quidem pecuniis, & aliis fortunæ bonis erecta & fabricata monasteria & clausstra, sed religiones illis nõ sunt fundatę.

Fundatores enim primi, qui opibus abun-
dabant, vt meo cultui & seruitio se addi-
cerent, opes tanquam impedimenta à se re-
mouerunt. Ego autem post bona funda-
menta paupertatis spiritus & mortificatio-
nis iacta, eis ducibus & antesignanis vsus
sum, ad attrahendos alios. atque hoc modo
fundatæ sunt religiones. Diuitiis fabrican-
tur lapides & ligna, sed paupertate spiritus
fabricantur virtutes.

CÆTERVM esto, nulla sit Paupertatis
vel laus, vel excellentia; an non sat dignita-
tis ei accedit, quod à me sit amata, & in ho-
nore habita? quod toto vitæ meæ decurso
mihi comes extiterit gratissima, quod eius
opera in conuersione mundi sim vsus, non
mittendo locupletes & sapientes, sed pau-
peres & rudes, ad subiungandos sapientes &
potentes mundi? quod per homines inopes
& abiectos tanta miracula fecerim in ani-
marum salutem? Nullanè hæc tibi videntur
præconia & decora religiosæ paupertatis?
Et si sunt maxima, qua ratione, fili mi, non
possum non iustissimè conqueri de illis, qui
non solùm non amant paupertatem, sed e-
tiam sine causa aspernantur? Quod à mun-
do contemnatur, mirandum non est, quia
hęc eius professio est, hoc institutum noctu

diuq;

diuque vacare cumulandis opibus, & amplificandis honoribus. Sed quod offendantur religiosi, qui factis eam respuant, & occultè eam vituperent, res est quæ in intimis cordis visceribus mihi displicet, dum video reginam illam voti religione mihi promissam, quæ imperitare apud eos debebat, tam impudenter exturbari. Sine spiritu res spirituales non possunt amari.

De vtilitate, quam religiosis affert Paupertas voluntaria.

CAPVT IX.

DOMINE, quam vtilitatem afferre potest paupertas religiosa, cum nihil habeat vndè necessitates humanas leuare possit? Imò ob incommoda quæ secum trahit, videtur non corpori solùm, sed etiam animæ noxia. Corpus enim malè ab ea tractatum facilè in ægritudinem labitur. ægrum autem animæ actionibus spiritalibus seruire nequit. sed nec anima consuetis orandi & meditandi vacare potest exercitiis. Deindè non parum impedit religiosos, qui ad iuuandos proximos profitentur vitam actiuam, si enim rebus necessariis destituti sint laboribus in proximum conferendis succũ-

bunt. Itaque mihi videtur Paupertas multa bona impedire, & contra, promouere mala, vt morbos, ac denique mortem.

FILI, longè a veritate aberras; imaginaris enim Paupertatem religiosam, esse seueram & crudelem dominam, quæ subtrahat religiosis ad victum & amictum conuenienter instituto & vocationi suæ necessaria. Non est ita. Paupertas sua parsimonia animæ & corpori est salutaris, & plus homini prodest, quàm mundi opes & voluptates. Nam inprimis caducorum honorum cupiditas, sic animum hominis excruciat, vt omnem illi quietem adimat, ad exsugendum pauperum sanguinem exstimulet, tantamque inducat cæcitatem, vt Dei hominumque metum ab eo, neglecta propria salute, excludat. Neque hic gradum figunt mortales habendi cupidi. Qui semel diues factus est, mox cristas erigit, & fit superbus & arrogans; improborum patrocinium suscipit, & effrenatus in omnia scelera præceps ruit. Ab his aliisque malis animum liberat paupertas voluntaria, dum ei non solùm facultates quas habet, sed etiam habendi spem & desiderium, quod est origo ruinæ animi & corporis, eripit, talemque pacem & tranquillitatem conciliat vt animum

mum ad contemplationem rerum diuinarum, & quasuis actiones spirituales efficiat idoneum. Vndè religiosus homo, simulatque pauper factus est, consequenter etiam fit humilis, modestus, mitis, amicus bonorum, & hostis vitiorum.

QVOD paupertas quoque sit vtilis corpori, dubium non est. Nihil enim pro corpore ardentius postulamus quam sanitatẽ, nihil magis horremus quàm ægritudinem. neq; est quisquam qui non malit esse pauper & sanus, quàm diues & ægrotus. Et experientia quotidiana liquidè demonstrat, paupertatis parsimoniâ incolumitatẽ corporis sartã tectã conseruari, in plures quoq; annos, quàm in omni opum & voluptatum copia, vitam humanam prorogari. Quis nõ videt, pauperes saniores esse, maioresq; labores sustinere, quàm diuites? Pauperi non minus placet simplex & vulgaris mẽsa, quã lauta & opipara diuitib⁹. Ille semper ad cibũ sumendũ accedit famelicus, modicũ quod habet, comedit cum appetitu, nec refugit haustũ aquæ post laborẽ & sitim, lecti mollitiẽ nõ quærit, sed dormit & qescit, vbi fors tulerit, mane surgit cibo digesto incolumis & sine fastidio. E cõtrario diues tẽpori seruiens semisatur ordinariè mẽsæ accũbit, exiguam

guam è cibo voluptatem capit, nocte vix dormit, sed nunc in hanc, nunc in illam lecti spondam se voluit, & idcircò semper illi adesse debet medicus, & pharmacopolia in cubiculo parata. Ecce sic agitantur, qui in delitiis viuunt, malè viuunt & citò moriuntur. Non sic viuebant olim serui mei in eremo, qui tantam paupertatem colebant, vt quando herbis, salis aut olei aliquid aspergebant, festum diem se agere crederent. Et tamen hi medicis, omnibusque medicinis destituti in decrepitam ætatem sani vitam extrahebant. Non est itaque paupertas religiosa (vt tu opinaris) causa morborum, & acceleratæ mortis. Nihil æquè valetudinem lædit, ac ciborum varietas & abundantia.

Affert secum religiosa Paupertas & aliud commodum, nempè securitatem omni suspicione, siniſtrisq; cogitationibus vacuam. Qui opibus abundat non externos solùm, sed etiam domesticos fures pertimescit. nec iniuria. multi enim dum aditum præclusum vident ad opes, primũ vitam illis erripiunt, & deindè opes. Quot filij clanculum ferro vel veneno è medio sustulerunt parentes, vt citius venirent ad hæreditatem? Quot proditiones etiam contra amicissimos extite-

runt

runt ad eripiendum eorum thesauros? At pauperes securè dormiunt, noctu diuq; metus omnis expertes itinera conficiunt, nullis suspicionibus agitantur, quia non habent, quod amittant. Adde, quod Paupertas neminem in via retardat, nec obliuionem regni cælestis, vti faciunt multæ opes, inducit, sed potius vrget & impellit, vt crebrius mente recolamus patriæ cęlestis pulchritudinem, ingentesque thesauros ibi nobis paratos.

DOMINE, in die iudicij regno cælorum donabis tantum eos, qui amore tui cibum potumque subministrarint egentibus, & in aliis quibusque necessitatibus eis subuenerint. Et quicquid illis præstitum fuerit, tibi præstitum vis reputari. Si ita est, quid ergò mercedis continget pauperibus religiosis, qui cum in religionis ingressu omnibus facultatibus suis renunciarint, non habent vndè illis subueniant? Quare consultius facturi fuisse videntur, si partem aliquam bonorum suorum, quàm in pauperes postea erogarent, retinuissent. Fili, eleemosynam largiri pauperibus opus bonum est, & vitæ æternæ meritorium, sed omnibus facultatibus suis & seculo renuntiare, ac me sequi longè præstantius opus est. Vndè adolescēs Matt. 19.

alle

illi diuiti, qui me rogauit, quid facto opus foret sibi, vt ad vitæ perfectionem veniret, non consului, vt permaneret in seculo, & multas eleemosynas erogaret in pauperes, sed vt ipse, omnibus facultatibus suis, in pauperes distributis, pauper fieret, & ita me pauperem sequeretur. Quamobrem non habent religiosi quod in die iudicij reformident. cum enim amore mei, non modo omnia quæ habebant vel habere in mundo potuerant, sed etiam seipsos dereliquerint, præstantissimum opus & perfectissimum copiosa remuneratione & gloria in illa die compensandū, exercuerūt. Non est ad porrigendam eleemosynam obligatus, qui omnibus suis in egenos simul distributis, reliquum nihil habet, quod dari possit.

CVM ergò ex tantis Paupertatis religiosæ laudibus & vtilitatibus liquidò appareat seculares homines magnoperè falli, qui tanta cupiditate congerendis opibus studeant; quantum putabimus errore committi à religioso, si & ille cumulandis pecuniis operam daret, quibus per votum Paupertatis nuntium remisit in perpetuum? Quæ amentia foret, eundem dum seculum deserit, velle egredi nudum, ne in certamine habeat, vnde à dæmone teneri, vel in terram

deiici

deiici possit, & nunc in religione velle vestiri, vt facilius ab hoste capi & sterni queat? Dæmon, quando non habet, quod apprehendat, aut victus recedit, aut ab lucta absistit.

Quemadmodum Deus etiam in hac vita religiosis votum Paupertatis compenset.

CAPVT X.

FILI, ego sum, qui toti mundo necessaria suppedito. Ego iubeo solem oriri super bonos & malos. ego pluuiam tempore opportuno demitto. Ego auctor sum, vt terra germinet, & producat animalia, mareque abundet piscibus, quò cuique pro conditione naturæ suæ congruentia suppetant præsidia. Neque decet me, totius vniuersitatis conditorem, ab homine vinci, vt ille plus mihi largiatur, quàm ego illi. Quoniã igitur religiosi per votum paupertatis mihi largiuntur seipsos & quicquid in mundo habent, & quo mihi promptius & expeditius seruiant, omnibus facultatibus, honoribus, cõmodis & recreationibus, cæteroquin licitis renunciant, & verò etiã perpetui voti vincu-

vinculo, ne aliquando tergiuersari rursum possint, ad paupertatem se obstringunt, cõ-
uẽniens est, vt ego vicissim illis spondeam,
me omnia ad vitam necessaria, illis submi-
nistraturum.

Primùm ergò tam ardentem eorum erga
me amorem & liberalitatem sic compenso,
Matth. 18 vt me totum illis consecrem, sicut olim in
persona Aaronis me facturum recepi: cui
dixi, me partem ipsius & hæreditatem fore,
intelligens in hoc typo omnes religiosos.
Ita me eorum procuratorem & dispensato-
rem constituo. Nec satis est mihi Domini
boni erga seruos fideles personam sustine-
re, sed etiam eodem loco eos habeo, quos
Pater optimus carissimos liberos. Et si vo-
lucres tanto studio necessarium victum su-
is pullis conquirunt, vis tu me religiosorum
filiorum, qui in cœnobiis suis, velut auicu-
in nidis cibum præstolantur, obliuisci? Non
vis eos veste necessaria instrui, qui propter
me omnibus corporis commodis se exue-
runt, nihil retinentes proprium? Nullare
indiget, cuius Deus curam agit.

Quapropter scias me omnibus præsidia
necessaria destinasse, & adhuc quotidiè de-
stinare, licet non eodem modo omnibus,
quia nec omnium eædem sunt functiones,

nec

nec omnes eandem rationem vitæ instituendæ sectantur. Nam eos, qui singulatim & quoad personam propriam omni dominio suarum facultatū sunt exuti, vt in hoc Paupertatis gradu mihi seruiant, iussi in commune possessionibus instrui, vnde singuli vitam tolerare queant. Aliis verò qui arctiores Paupertatis leges sunt complexi; vt ne in commune quidem vllis frui velint fixis & stabilibus bonis, succurro nunc horū, nunc illorum fidelium commouendo animos, vt velint necessaria subministrare meis filiis. Atque hoc est, vnicuique prospicere iuxta regulam & vocationem suam. Tu Deo ne desis, & Deus non deerit tibi.

Qvò propius autem veniamus ad remunerationem, quam ego in hac vita quoque religiosis facio, ad compensandum Paupertatis votum: Dic age, fili, cur, dum aliquis tuæ religionis ex aliis regionibus ad tuum monasterium diuertit, omnes accurrunt, vt illi necessaria suppeditent? qua de causa id fit? Nulla sanè alia, quàm ob votum Paupertatis; & pars est compensationis, quæ paupertati religiosæ debetur. Si hospes ille aduenies proprium aliquod peculium haberet, vnde viuere posset, vnusquisque manus suas ab eo iuuando retraheret, nec deesset

sent obmurmuratores, qui dicerent. Ille satis locuples est, domi suæ: non dubium quin huc venerit absumpturus res nostras, vt parceret suis. Verùm non est ita, nam cũ nemo ignoret illum ob paupertatis votum, nec proprium quippiã habere, nec habere posse, idcircò necessaria omnia cum caritate & beneuolentia illi subministrantur.

ADHÆC quantis curis agitatur Secularis vt familiam rebus ad victum amictumq; pertinentibus instruat? Quoties noctes insomnes ducit, sollicitus, vbi, qua via, & ratiõe occurrere possit præsenti inopiæ? quot lacrymis sæpè perfunditur, dum consiliũ nõ suppetit, se vel alios iuuandi? An non tibi filii mi, beatus ille censetur, qui immunis est ab hac solicitudine? An non magno donatus priuilegio tibi videtur, qui vacuus curis alios habet qui necessaria sibi procurent? Et vnde hoc priuilegiũ religiosis contigit, nisi per me, ratione voti Paupertatis.

CONSIDERA deinde fili, religiosum, si fortè iter instituat per regiones externas, & ad sui Ordinis domicilia diuertat, humaniter excipi, & magna caritate tractari. Omnes, licet nunquam conspecto, sua officia deferre conantur, hoc solo nomine, quod intelligant esse suum fratrem, eiusdem secũ matris,

matris, id est, religionis filium. Vbi ad locum peruenit omnia illa æquè sunt communia, ac aliis qui inibi commorantur. Itaque pro vna domo, quam amore mei deseruit in seculo, inuenit millenas alias, sua præstantiores. Et hoc est, nihil habere, & tamen omnia possidere. Ne Princeps quidem ita commodè tractatur, quando extra ditionis suæ fines peregrinatur. Ille enim in diuersoriis ab hospite non alia de causa, quàm ob speratum ab eo lucrum humaniter excipitur; & quisquis necessaria ad cõmeatum secum non defert, magnos sumptus facere solet, & multa sustinere incommoda, eò quod non diuertat in domum suam, sicut religiosus, & quicquid illi officij defertur, propter nummos defertur, & non ex amore, vt fit in religione. Vides nunc, quanto melior in hoc genere pauperis religiosi conditio sit, quàm Dominorũ diuitũ; quod non fit, nisi propter Paupertatis votũ, cuius beneficio multis fruitur commodis, quorum ipse auctor non fuit.

PRÆTEREA, verum est quidem, victum religiosi esse tenuem, sed si sedulò perpendas conditiones victus, non dubitabis etiam magnorum Principum anteferre mensis. Primum omnia, quibus religiosus

veſcitur, amore mei ei collata ſunt, ex amore omnia parantur, eodem amore à ſeruis meis poſtea ad menſam deferuntur. Quicquid apponitur comedit & bibit omni ſuſpicione excluſa. At quis in mundo Princeps eſt, cui ſemper ex puro amore ſeruiatur? Qua in aula tanta cum pace ſeruitur, ſicut in religione? Vnde tot præguſtationes in menſis Principum originem traxêre, niſi ex ſuſpicione veneni? Et quis non videt pluris æſtimandum amorem & ſecuritatem, qua religioſo ſeruitur, quàm omnia magnifica Principum miniſteria?

Religioſo conſueta officia non detrahuntur etiam in ſenecta. Qui verò ſeruiuit Dominis terrenis, vbi ad extremam ætatẽ, qua ægrè conſueta miniſteria præſtare poteſt, peruenerit, ſi non domo exturbatur, ſaltem grauatè aliorum oculis tolleratur, nec pro meritis ſuis, quantumuis totam vitam in ſeruitio Domini ſui impenderit, tractatur: ſed pro homine inutili, qui nulli ſeruitio idoneus ſit, habetur. Contra verò, pauper religioſus, quò ad prouectiorem ætatem peruenerit, hoc maiori in reuerentia habetur & tractatur commodius: nec in eo perpenditur, quid in præſenti præſtet, ſed quid olim præſtiterit, omnesque in eum

oculos

oculos coniiciunt, tanquã in meum seruũ, & hominem mihi consecratum. Non senectus, sed peruersa voluntas facit religiosum ex mea gratia excidere. Religiosus spiritualis & senex, qui laborare non potest, mihi vtilius seruit, quã multi iuuenes robusti, spiritus expertes. Ego in seruis meis, non tam considero vires corporales, quàm voluntatem & spiritum, qui non vitio ætatis, sed prauæ consuetudinis inueterascit, & perit.

Deniq; religioso pauperi maiori studio, fide & amore in ægritudine seruitur, quàm Dominis secularibus. Nam medicorum præscripta accuratissimè apud illos seruantur; noctu diuq; præsto sunt, qui ægris adsistant. Si periculum vitæ impendeat, tempestiuè cõmonentur, vt ad eam se comparent. In morte ipsa à multis seruis meis obsidetur, qui orationibus, piisq; monitis eos cohortentur ad felicem in alteram vitam transitum. Certè, si religioso nulla in hac vita alia supereſſet remuneratio, hæc meritò sufficere ei deberet, vtpotè tam eximia & singularis, vt multi Principes & Domini mundi eã exoptarint, sed obtinere minimè potuerint. Quot enim illorum nulla antegressa præparatione è viuis excesserunt, ideò quod certiores redditi non sint de periculo? quot

cum vita temporali pariter iacturam fecêre æternæ?

Si talis est compensatio meorũ religiosorum in hac vita, qualis erit merces iisdem parata in cælis? quali in aula mea ornabuntur corona pro voto Paupertatis? Quo Domini obstupefacti ob immensam eorũ gloriam, dicent. Nos paupertatem eorum æstimabamus insaniam & amentiam: nos autem amentes fuimus, ipsi verò sapientes.

De necessitate obseruandi votum Paupertatis.

Caput XI.

Fili, in meo Euangelio assimilaui diuitias spinis, & meritò. Spinæ enim viatores impediunt, quò minus expeditè progredi queant, metus enim punctionis eos retardat. Adhæc spinæ manu apprehensæ pũgunt, constrictæ fortiùs, eliciunt sanguinẽ & dolorẽ gignunt Quare beneficio magno affecti sunt, qui à tergo eas reliquerunt, & dum ambulant amplius in conspectu non habent. siquidem tractare aculeos spinarũ, & non pungi, si non est impossibile, saltẽ est admodũ difficile. Parumq; interest, sintne paruæ aut grandes, paucæ vel multæ, quia oẽs pungunt, & semper pungũt. Haud secus diui-

diuitiæ plurimum retardant peregrinos ad cælum tendentes, onereq; suo magno afferunt fastidium. Habere aliquid propriũ, ad illud non affici, nec multis, nec omnibus est cõcessum. Affectio est, quæ cogitationũ, suspicionũ, & solicitudinũ de congerendis opibus spinas generat; quibus opibus quo quis plus se addixerit, hoc grauiùs se pũget, & cruore consperget. Quare non abundare opibus, vel ad eas deserendas obligari, ingens beneficium est, & in eo consistit votum religiosæ paupertatis.

VERVM fili mi, non satis est vota edidisse, si non præstentur: quia voti finis est, opere illud obseruare. Memento itaque te sponte ad perpetuam paupertatem obligatum, quæ inter virtutes morales & religiosas pręcipua est, & obligationẽ in conspectu meo peractam. Operibus autem contrariis voto illo se eximere; aliud nõ est, quàm bellum indicere virtuti cæterarũ facilè principi, quam in tuam dominam & patronam elegisti, atque ita pœnam violatæ obligationis, hoc est, damnationem æternam incurrere, ac me creatorem & benefactorem tuum, qui votum acceptaui, offendere. Iudica nunc ipse, quam necessarium sit stare promissis mihi semel factis, quæ sicut ad

salutem conducunt integrè seruata, sic violata pertrahunt ad gehennam.

DOMINE, quandoquidem diuitiæ tam sunt molestæ & periculosæ, & tamen opus est victu amictuque ad vitam tolerandam necessario, satis esse tibi deberet, si in numero eorum saltem pauperum essemus, de quibus cum laude ita loquitur sacra Scri-
Eccl. 31. ptura. *Beatus homo, qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecuniæ thesauris.* Sic enim possemus aliqua necessaria, reciso ad illa affectu, & voto paupertatis saluo, possidere. Verum est, fili, beatum esse, qui póst aurum non abit, sed ibidem Scriptura mox subiungit. *Quis est hic, & laudabimus eum?* Quis est, qui non desiderat aurum? Quis est qui adeptum non studeat conseruare, & augere? Si tu post aurum fortè non abeas, aurú abibit post te, & spinæ instar vestibus tuis adhæresçet, ac vt non pungat, saltem incessum tuum retardabit. Quare votum paupertatis omnem prorsus proprij possessionem, siue magnum, siue paruum sit, excludit. Neque debes sollicitus esse de victu & amictu: mihi hanc curam relinque, tantùm labora, vt voto Paupertatis facias satis, & ego necessaria tibi prouidebo. Qui spem suam in alio collocat, quàm in Deo, iniu-

riam

riam facit DEO, & se inueniet deceptum.

MEMENTO Paupertatem vocari religionis murum, & religiosorum matrem. Quamdiu solidus & integer murus est ciuitatis, facilè à latronum vel hostium incursu defenditur, quando verò disturbatus est, aut rimas agit, facilè ab hoste inuaditur & diripitur. Sic paupertas, quæ est disciplinæ religiosæ murus, si vel prorsus abiiciatur, vel rimas agat, per quas proprium aliquid recipiatur, obnoxia redditur hostium direptioni. Quare opus est vt murum custodias, si cupis murum custodire te. Qui belli tempore mœnium custos est, duas debet habere conditiones. Vnam, vt vigilias agat: alteram, vt non sinat se corrumpi hostium muneribus. Hæ duæ conditiones sunt in religioso voluntariè paupertatem complectēte: vtpotè qui parcè viuens, nullam à somno capit molestiam, & cum proprietarius non sit, non facilè corrumpetur inimici muneribus. Quare non est neque vigilantior custos neque robustior muri religionis defensor, quàm religiosus verè pauper. Necessarium præterea est, vt muri ciuitatis sæpè inspiciantur, & vbi & quando opus est, reficiantur & firmentur: nam si cæperint alicubi vel agere rimas, vel in vnam partem

inclinare, difficulter remediũ adhibebitur. Sic crebro inſpiciẽda eſt religionis paupertas, ne aliqua ſui parte, licet minima, laxetur; & ſi laxata fuerit, rurſum aſtringatur: hac enim ratione validius munietur religio, eiuſque ſtatus reddetur ſecurior. Sicut enim primus hoſtium ſcopus eſt, ſubruere propugnaculi alicuius muros, ſic ſumma cura eorum qui illud defendunt, eſſe debet, vt muri conſeruentur.

DICTA deinde eſt religioſorum mater, quia Paupertas prima eſt, quæ communicat religioſo ſuum eſſe vel naturam, eundemque nutrit & educat. Verùm quidem eſt, eam in liberorum educatione nonnihil eſſe ſeueram, eò quod illis commoda quædam, non neceſſaria, ſed potiùs ſuperuacanea ſubtrahat, tamen illud bono fine facit, vt nimirum filij in fortes euadant milites, ac ſtrenuè contra omnia vitiorum genera decertent. Probè ſiquidem nouit, hominem in delitiis educatum, & perferendis aduerſis non aſſuefactum, non poſſe eſſe bonum militem. Inter conditiones huius matris vna eſt, quod ſe amantibus liberis cara eſt & grata, non amantibus autem grauis & exoia: & quisquis obligatus eſt ſubeſſe gubernationi talis matris, ſi ad illam non ſe

accom-

accommodarit, perpetuam in vita experietur afflictionem.

Si tibi fili, fortè displicet talem habere matrem, recordare Paupertatem non elegisse te in suum filium, sed contra, elegisse te illam in tuam matrem, atque illam te in filium acceptasse. Tu quoque ratione voti teneris perpetuò vitam agere cum tali matre. quare nec est amplius in potestate tua renunciare illi, sed teneris eam amare, honorare & defendere. Dic mihi nonnè grauiter delinqueret filius, qui malè tractaret matrem, aut domo eam exturbaret? nonnè is dignus esset seuera castigatione? Quid verò est aliud reculis nonnullis propriis frui, vt tuæ indulgeas cupiditati, nisi iniquè tractare matrem tuam Paupertatem? Nullam autem eius rationē habere, quid aliud est, quàm eam ex intimo corde tuo, quæ domus eius est, expellere? Vide fili, quid agas, quia damnum omne recidit in caput tuum; quandoquidem constat illam non indigere opera tua, te autem indigere opera illius, nec potes sine illa vitā religiosam ducere. Illa tibi non est obligata, sed tu illi. Regnum cælorum pauperum est. Qui verò non vult paupertatem agnoscere tanquam matrem, non erit quoque particeps hæredi-

hæreditatis illius, quę est regnum cęlorum.

DOMINE, probè intelligo, votum paupertatis edere, non esse aliud, quàm promittere tuæ maiestati me nec habiturum, nec velle habere aliquid proprium, ac vitam in paupertate acturum. Cæterum aueo cognoscere, possimnè Voto paupertatis facere satis, si proprij nihil possideam, & tamen omnia palato, & modo agendi meo congruant. Fili, sicut mihi placet, vnumquemque instructum esse rebus necessariis, sic mihi displicet, si religiosus vel habeat vel procuret superuacaneas. Quid autem necessarium sit, vel vtile, non est tuum iudicare, (facilè enim à sensu vel affectu proprio seducimur) sed superioris. Ad te tantùm pertinet necessitatem tuam proponere, Superioris autem est iudicare, quid consentaneum sit Paupertati. Pauper non est, cui nihil deest, nec more pauperum viuit, qui omnia habet, pro vt collibuerit.

De defectibus, qui contra paupertatem committuntur.

CAPVT XII.

FILI, qui à redditibus instructus est more pauperum, & tamen instar diuitum

vult

vult magnas impensas facere, vehementer errat; breui enim alieno ære ita grauatum se sentiet, vt cogatur inire carceres, ibique errati luere pœnas, donec extremum quadrantem persoluerit Quicquid habes in religione, datum est tibi à me, & propter me: ego autem tibi tanquam pauperi in vsum tuum, tuæque religioni necessarium illud attribui. Si verò tu res religionis velis tractare & expendere, more diuitum pro tuo arbitrio, atque si esses absolutus earum Dominus, malè tibi succedet, quia de omnibus rationem mihi aliquando es redditurus. Omnia quæ in mundo possidebas reliquisti, & ne pro arbitratu tuo illis vterere, eorum dominio es exutus; quomodo ergò in religione cogitas vsurpare dominium in res alienas, ac pro libitu de eis disponere? Id certè neque conueniens est, neque mihi placet. Quamobrem necesse est, vt statuas res religionis tractare tanquam res meas, mihique consecratas. Quod autem in tuum transfertur vsum, tractare debes, non tanquam tuum, sed tanquam meum, per superiorem tuum à me tibi concessum, idemque vsui tuo seruiturum, quamdiu mihi placuerit, ita vt in arbitrio meo sit illud tibi, cum ita visum fuerit, tollere.

Non

NON parum mihi displicet, quoties religiosus tanta cupiditate in rem aliquam suo vsui permissam fertur, vt ægrè, cum ratio deposcit, illam relinquat. Qualis enim bestia foret, quæ à Domino ad ferenda onera conducta, nollet sibi postea adimi instrumenta ad onus commodè sustinendum congruentia? Quicquid religio vnicuique attribuit, id, seruitij mei causa facit, & siue ego adimere, vel permittere aliquid alicui velim, non debet eam ob causam vel angi vel turbari. Nimia affectio ad res accommodato datas, facit vt mente excidat, esse alienas.

O quantoperè me offendunt ij religiosi, qui rubore suffunduntur, si pauperes sint, vilioreque vestitu & victu vtantur. Quomodo enim fieri potest, vt pudeſiant ea re quæ cedit eis in gloriam, cuius beneficio ad statum tam sublimem prouecti sunt, eosque similes reddit Domino suo & magistro? An obliuisci potuêre promissionis de paupertate factæ? vel si non sunt obliti, cur eam parui faciunt? Quis quæso in seculo est, quem suæ professionis pudeat? cum ergò religiosus publicè professionem paupertatis fecerit, quid causæ est cur de paupertate erubescat? Non ita fecerunt qui-

quidam mei serui, qui nunc æternis in cælo fruuntur gaudiis, illi enim potiùs pudefiebant, si quem deprehendissent se pauperiorem. Quem virtutis pudet, is liquido declarat se non diligere illam. Malum signum est odisse paupertatem, quæ est virtus primaria & religiosæ vitæ propria.

SVNT alij qui erubescunt de inopia parentum, alij verò qui gloriantur de eorum diuitiis. Vtraque autem affectio est religiosi malè mortificati. Quod parentes sint locupletes, virtus non est, cur ergò religiosus de iis glorietur? Imò quo locupletiores sunt, tanto in maiori periculo sunt religiosi, ne aliquando respiciant retro, ac ideò maior timendi quàm gloriandi se offert materia. Quod autem parentes tui sint inopes, nunquid tuo vitio factum est? & si non est, quid est quod erubescas, vel affligaris? Si pauperem esse in seculo foret crimen, iustam pudoris causam haberes, sed non est. Vel si paupertas viam ad cælum redderet difficiliorem, meritè dolere & conqueri valeres, at iam constat eam non inopia sed opibus reddi difficilem. Vis parentes tuos esse diuites? Fac, vt sint virtute præ-

prædiți, & ſtatu ſuo contenti: ſic enim erũt in Dei gratia & amicitia, quæ omnes huius vitæ diuitias & honores antecellit. Religioſus qui optat parentes ſuos in mundo exaltari, nec laborat vt opibus ſpiritualibus inſtructi ſint, exigua pollet caritate, & ſpiritu nullo.

GRAVIS quoq; defectus eſt in voto paupertatis, ſi quis exiſtimet ſe ei feciſſe ſatis, cum nihil poſſidet tanquam proprium, & interim ſolicitus eſt, ne quidquam ſibi deſit. Ego certè non video, quemadmodum hæc duo cohærere queant: Votum paupertatis edere, & nolle eam probare: eſſe pauperem, & nullum paupertatis effectum velle experiri: Amare paupertatem, & velle vt longè abſit. Ego pauper fui, quia in toto vitæ curſu expertus ſum paupertatis effectus, tolerando famem, ſitum, æſtum, ſatigationem, nuditatem aliaque incommoda. Ego dilexi paupertatẽ, & ideò volui illam mihi eſſe comitem vſq; ad crucẽ, in qua nudus ſum confixus. Apoſtoli quoque mei, aliique diſcipuli & ſectatores multa paupertatis incommoda perpeſſi ſunt vſq; ad mortem. Tu verò non modo non quæris occaſionem aliquid, more pauperum patiendi in victu & veſtitu, ſed etiam omni ſtudio ac etiam importunè

portunè anhelas ad meliora, & si non consequare, turbaris & murmuras. Et quod deterius est crebrò tuam sensualitatem necessitatis vel sanitatis pallio tegis. Pauper non est, qui refugit pauperum incommoda. O quàm placuêre mihi religiosi illi, qui cum rebus ordinariis, & aliquando necessariis essent destituti, tamen non lamentabantur, nec contristabantur, sed cum gaudio dicebant. Hoc est agere pauperem Christi. sit nomen eius semper benedictum.

Illi quoque, qui non sunt contenti cõmuni religionis tractatione, sed citra iustã causam, aut peculiaria quædam optant, aut non necessaria, Votum paupertatis labefactant. In altero enim sumptus fiunt sine necessitate. In altero verò est mera supfluitas: quorum vtrumque repugnat paupertati, cuius hoc est solenne dictum. *QVANTVM satis est, & non amplius.* Parsimonia vti in rebus religionis, easque consumere tantum cum postulat necessitas, non est miseria, vt loquuntur Paupertatis osores, sed virutis actus, quia Paupertas id exigit.

Est præterea vitium cum paupertate religiosa pugnans, tum munera accipere sine facultate Superioris, tum aliis impertiri. Quicquid enim religioso donatur, religio-

nis est, non religiosi, qui non potest habere proprium. itaq; si munera suscipiat, se proprietarium demonstrat, sicut si quippiam donet alteri, se demonstrat dominum. Vtrumque autem, & proprietas & dominium aduersatur religiosæ paupertati. Nec omnino à culpa immunis est religiosus, si exigui precij sint accepta vel data, nam in voto paupertatis non est vlla exceptio facta de rebus paruis & leuibus, sed absolutè in eo promisit se nihil proprij, siue magnum, siue paruum sit, vsurpaturum, nullumq; dominium æquè in paruis ac magnis rebus habiturum. Error in rebus paruis & leuibus, non amittit nomen erroris.

Denique læditur Paupertas, cum expensæ fiunt superuacaneæ, ac res potiùs curiosæ & venustæ, quàm vtiles & necessariæ coëmuntur. Qui verè pauper est, & syncerè complectitur paupertatem, conatur facere quod illa postulat, & non plus. Quid interest religioso, codicem habere inauratum, vel vestem serico filo consutam? Cum enim non minus seruiant, illi codices auro destituti, quàm aurati, vestis communi filo consuta, ac serico, atque alterum altero magis cum paupertate congruat, cur non conformabit se paupertati? Sic etiam, quæ rogo,

causa

causa est, vt religiosus res alienas, quæ ipsi non prosunt, & aliis prodesse possent, in cubiculo suo retineat? nonnè superfluum est, quod impedit alterius bonum? Fili, veloptas in terra adsciſci in numerum pauperum, vel in cælo? Si in terra, sufficit tibi, quod votum paupertatis edideris, & ab hominibus pauper nomineris. Si in cælo, non sufficit hoc, sed præterea opus est, vt sis pauper ipso facto, hoc est, vt omnia superuacua rescindas, ac continenter vsque ad mortem in actibus paupertatis te exerceas, & hoc est esse pauperem religiosum. Non est in meorum pauperum contubernio, qui vult abundare superfluis: nec pauperum fruetur præmio, qui effectus paupertatis expertus non fuerit.

DE VOTO CASTITATIS.

Quid sit castitas religiosa, & quod eius officium.

CAPVT XIII.

FILI, si virtus castitatis non esset, perpetua cum homine ageretur: carnis siquidem concupiscentia, ea natura est, & conditione, vt si non coerceatur tempestiuè, hominem alioqui ratione & intelligentia præditum breui tempore totum reddat belluinum.

Nam sensuum illecebra titillationeq; ita mentem humanam obscurat & excæcat, vt eam in omnes bestiales fæditates & sordes pertrahat. Qua semel, vt fit, iudicio & consilio destituta, miserabiliter homo in omnia flagitia præceps agitur. Hinc fit, hominem voluptatibus carnis deditum, omni robore ad benè agendum spoliari, non cogitare, nec loqui alia de re quàm de lasciuia, & illecebris carnalibus, nec aliud optare, quàm vt per omnem vitam eiusmodi delitiis circumfluat. quare & alteram vitam odit. Neque hîc sistit hominis carnalis dementia, sed odio etiam quodam exardescit in Creatorem, quod in sua lege illas fædas carnis voluptates vetuerit, & condemnarit. In homine sensuali deficit sensus, & culpa augescit.

ALIA conditio concupiscentiæ est, efficere, vt nullum sit bonum, quod homo sensualis non aspernetur, neque malum, quod non cõmittat, vt potiatur eo, quod illicitè desiderat. Nullam rationem habet opũm, sed vt libidini suæ faciat satis, omnia profundit, vitam mille periculis exponit, nullam sanitatis curam gerit, nihil pensi habet conscientiæ repugnare, animamq; lædere, modo ad scopum suum colimet: Denique

omnia

omnia tam terrestria quàm cælestia postponit suis carnis voluptatibus Non fit animalis, qui actiones animalis non exercet.

TERTIA Concupiscentiæ conditio est, quod nunquam satietur imò voluptatibus carnalibus quotidiè accrescit, & ita corpus inflammat, vt nulla febris licet ardentissima æquè hominem cruciet, ac concupiscẽtia. nec vlla furia infernalis ita exagitatur, vt homo luxuriosus, cuius æstus tantus est, vt videatur non posse extingui, nisi morte. Caro primò hominem ligat, post excæcat, deinde exagitat. Qui non vult hoc modo tractari, non se dedat eius seruituti.

CVM hac pestifera indomitaq; fera bellum gerendum est castitati, quæ vocata ab homine in auxilium libenter venit, & concupiscentiæ æstum vehementer mitigat. Officium ergò generale castitatis est, omnes sensuum cupiditates ad rectæ rationis normam moderari & dirigere, vnicuique continentiæ gradui tribuendo, quantum conuenit, & non amplius. Et quoniam gradus continentiæ sunt varij, variæ quoque sunt eius concessiones & prohibitiones quas in sua lege præscribit. In primo & infimo gradu est continentia coniugatorũ, quibus tantùm prohibet delectationes illicitas,

citas. In secundo est viduarum. In tertio cælibum, qui non solùm illicitis renunciant carnis voluptatibus, sed etiam licitis; quibus videlicet citra noxã frui possent, si matrimoniũ inire vellent. In quarto gradu est continentia Virginũ, quæ vt iam dictis perfectior est, ita maiori prẽmio digna est. Cuius perfectio sita est, non solũ in firmo proposito continendi se ab omni Venerearũ illecebrarum genere, verùm etiã in perpetua virgineæ integritatis cõseruatione. In quinto, supremoq; gradu collocata est continẽtia religiosorum, quæ, esto, virginea aliquãdo non sit, tamẽ perfectione cæteris omnibus præstat, eò quod per Votum mihi sit cõsecrata, quod cum sit excellentis caritatis actus, & virtutum moralium maximæ, nempè religionis, continentiæ religiosæ summam perfectionem excellentiamque conciliat.

IAM verò lex castitatis imperat, vt continentia religiosa tria se digna officia exerceat. Primum est carnem conseruare puram. in quam rem opus est animi robore. Nam cum caro per se procliuis sit ad incontinentiam & impuritatem, fortitudo animi necessaria est, ad eam quasi freno coercendam, vt homo qui naturaliter carnem suam diligit,

diligit, nec sinit eam facilè affligi, non nimium relaxet illi habenas, & in voluptatum carnalium lutum se demergat. Alterum officium est, custodiam agere sensuum. in quam rem opus est diligentia. Nam cum sensus sint vagi, & lubrici, innumeraéque errandi occasiones se ingerant, nisi religiosus in iis custodiendis sedulus fuerit, facilè limites suos transilient. Tertium officium est, sartam tectam conseruare mentis puritatem, quo necessaria est cautela, ad considerandum & expendendum, quid in eam admittatur. Si enim quippiam sit, quod inquinare eam possit, debet ei aditum omnem præcludere, eò quod faciliùs sit ingressum prohibere, quàm semel admissum postea excludere.

Fili, hæc religiosæ castitatis lex est, & hæc eius officia. Si velis ab ea iuuari, quandoquidem hoc fine eius opem imploras, necesse est vt tu illi quoque faueas, operamque tuam non deneges, quo officio suo facere satis possit. Si enim secus fiat, perinde faceres, ac si in domum quidem aduocares medicum, sed nolles ab eo vulnus ægri attingi metu doloris, vel fastidij secuturi. Hæc non est via curãdi infirmi, sed potiùs morbi augendi. Corpus assuefactum

voluptati conqueri solet, castitatem nimis esse exactam & severam in exequendis suæ legis præceptis, quæ multa prohibeant, & concedant pauca. Verùm, hę sunt mollium, sensualiumque ęgrotorum querelæ, qui ordinariè appetunt, quæ maximè illis noxia sunt. Quæ si illis indulgeantur, afferunt damnum. Quare consultius illis talia negantur, etiamsi molestè ferant. Permitte fili mi, vt medicus manum apponat ferro, nam concupiscentiæ carnalis hulcus, nisi maturè præcidatur, facilè in putridum mor-ferumque apostema degenerabit. Qui cum exigua afflictione non est curatus sicut debet, alibi æterno cruciatu torquebitur, sicut debet.

De excellentia castitatis religiosæ.

CAPVT XIV.

FILI, homo constat duabus partibus. altera dicitur inferior, & sensitiua, ac pertinet ad corpus. Altera superior, & rationalis, ac pertinet ad animam. Quando creatus fuit in paradiso terrestri, quamdiu in statu innocentiæ perstitit, magnam quoq; sensit pacē, quia pars inferior perfectè subiecta erat, & obsequebatur superiori, nec aude-

audebat rationi repugnare. Quando autem homo per peccatum restitit creatoris sui voluntati, felicique & pacifico innocentiæ statu excidit, cæpit pars inferior aduersari parti superiori, hoc est, Dominæ suæ rationi; & præterquam, quod ex fastu dominæ auctoritatem sibi vsurpare voluit, turpiter etiam lapsa est; quia posthabitis rationis monitis, totam se cœpit dedere voluptatibus. Hinc natum est bellum, quod nunc geritur inter sensum & rationem, hinc pristina pace & tranquillitate homo spoliatus est. Eaque de causa coactus fuit homo virtutum se communire præsidio, ad mittendam sensualitatem sub iugum dominæ rationis. Inter quas virtutes principem facilè locum obtinet castitas. quæ vbi ingressa fuerit superiorem animę partem, velut prudens magistra mandat parti sentienti vt intra suos limites se contineat, & rationi obtemperet. Vndè prima castitatis excellentia est, hominem restituere, quoad fieri potest, in priorem statum in quo conditus est, & ea puritate ornare, qua claruit in paradiso terrestri.

Adhæc Castitas dicitur virtus angelica, quia hominem angelo similem reddit, dum facit vt vitā angelicam ducat. Quam-

uis enim natura sua medius sit inter animalia & angelos, eò quod vtrorumq; conditiones in eum conueniant, licet illis superior, his verò sit inferior, tamen aliquando totus animalis est, aliquando angelicus. Animalis, quando sensualitas in cõflictu cum parte superiore obtinet victoriam, & rationem sibi subiicit, efficitque vt homo in tantum se cupiditatibus terrenis immergat, vt cælestia non capiat, & velut bestia, nullum ex rebus spiritalibus gustum percipiat. Cæterum quando castitas subiuit animi penetralia, dispar belli exitus sequitur. Castitas enim primò frenum iniicit sensualitati, & moderandi auctoritatem impertit rationi: tum curat, vt spiritus dominetur carni, & hoc est, esse angelicum. Quamuis autem homo conuenienter naturæ suæ sit alligatus carni, & dum in hoc exilio degit, in carne peregrinetur, tamen quia beneficio Castitatis secundum carnem neutiquam viuit, angelicam vitam ducere dicitur. Qui verò in terra viuit vt angelus, in cælo quoque fulgebit, vt angeli.

PRÆTEREA castitas euehit hominem ad magna & mirabilia præstanda, contra verò intemperantia carnis eundem deprimit ad abiecta & vilia. Experientia con-

constat, eos qui voluptates carnis sectantur non anhelare ad præclara & heroica facinora designanda, imò dum cernunt se carnis laqueis irretitos, prorsus se in libidinum volutabrum demergere. Hoc etiam vitio sic humanum obtunditur atque hebescit ingenium, vt non solùm progressum impediat in disciplinis & artibus, verùm etiam obliuionem eorum, quæ semel comprehensa fuerint, inducat. Contra castitas, vt est virtus angelica & cælestis, ita hominem ad eximia & generosa opera patranda extollit.

Religionvm fundatores, nisi vitam castam duxissent, nunquam res tantas, tamque arduas, hoc est religionis nouæ fundationem, aggressi fuissent. Neque Apostoli mundum ad amplectendum Euangelium commouere potuissent, aliaque præstanda, quæ præstitêre, si coniugibus & liberis alligati fuissent. Qui itaque puritatem mentis & corporis sectantur, aptiores sunt ad percipiendam meæ gratiæ lucem & splendorem, ad contemplanda cælestia, diuinitatis mysteria, spiritus beatos, fælicitatis æternæ, bonorumque in cælo virtute prędītis paratorū magnitudinem & excellentiam. Vndè & homo, licet mortali

tali adhuc in corpore degens, tamen si castitatem mentis, puritatemque colat, iam ex parte paradisi frui incipit delitiis.

NEQVE exigua est illa Castitatis præstantia, quod sic exornet & illustret hominis animam, vt meis oculis gratissimã reddat. Licet enim omnes virtutes venustiorem eam reddant, singulæq; peculiari quodam ornamento eam condecorent, tamen castitas, quoniã eam ab omni macula carnali conseruat immunem, longè purissimã & venustissimam reddit: sicut è contrario vitium carnis eam tam spurcam & graueolentem efficit, vt, quamuis aliis omnibus virtutibus moralibus instructa foret, tamen ægrè tolerari possit. Pulchritudo externa crebro exitium affert animæ: sed castitas, quæ est animæ pulchritudo, præterquam quod sit Deo gratissima, vtramque & animæ & corporis salutem conciliat.

DENIQVE castitas religiosa, quamuis per se sit præclara & excellens, tamen ex multis aliis splendorem perfectionemque ampliorem adsciscit. Primum enim vehementer illustratur per Votum, cuius vi religiosus omnibus illecebrarum generibus, siue corpus & sensus, siue mentem & internas facultates attingant, renunciauit. Deinde

inde non modicum splendorē capit à fonte & origine sua, nempè à syncero & perfecto amore mei. Religiosus siquidem non necessitate, vel commodi spe impulsus, non vllo alio humano prætextu adducitur, vt blandimentis omnibus carnis nuntium remittat, sed tantùm quò mihi placeat. Quocirca & castitas religiosa hoc illustrior est, quò perfecta caritas, quæ eius mater est, inter omnes virtutes eminentior est. Ex fine quoque & scopo, quem castitas religiosa propositum habet, non exigua est splendoris, perfectionisque accessio. Finis ille alius non est, quàm gloria & honor meus. vnde religiosi ad perpetuam castitatem se obligant, quia ea mirum in modum cultus diuinus amplificatur, atque idcircò nihil mirum est, castitatem religiosam inter omnes castitatis gradus obtinere principatum. Quò castitas plus splendoris perfectionisque capessit, tanto plus etiam communicat suis amatoribus.

QVAMOBREM fili, cum tam præstans & excellens sit castitas, non satis est mihi, si eam quomodocunque complectaris, aut etiam ardenti desiderio ad eam tanquam admodum preciosam aspires, sed optarim vt te illi quoq; addiceres tanquam rei sacrę, mihi-

mihique gratissimæ. Et scias, me cumprimis esse cordis casti puriqué amatorem, & tantum amatorem, vt non modo in eo cum gaudio singulari requiescam, variisque donis illud locupletem, verumetiam nihilà me postulari possit, quod non gratioseè illi impertiam. Atque hoc vnum cuiusuis religiosi animum inflammare deberet ad desiderandam hanc cælestem gemmam, non solùm in virtutum choro in terra, sed etiam in cælo, inter beatorum acies mirificè resplendentem. Quo impensius amaueris castitatem, hoc impensius amaberis à Deo, & si eam amare non potes, quantū amari meretur, saltem ama eam, quantum potes.

Quantoperè conueniat religiosos esse castos.

CAPVT XV.

DOMINE, sat benè intelligo, admodum conueniens esse, vt castus sit, qui tuo cultui est addictus, quandoquidem beneficio voti totus tibi omnis puritatis fonti est consecratus & mancipatus. Non congruit, vt sub capite nitido & puro, membra sint impura & sordida. Cæterùm haud scio, quemadmodum tueri diu possim castitatem, cum domi habeam capitalem eius inimicum, qui internis externisque

que fretus præsidiis, tam audax & fortis euadit, vt pænè diffidam de victoria. Iam nosti Domine, quàm grauiter insolens ista caro, animæ meæ puritatem persequatur. non ignoras quot insultus noctu diuque in eam faciat. Quanquam hoc me non terret. Verùm hoc me animi pendere facit, quod tum intus à sensuum petulantia, tum foris ab atrocissimo humani generis hoste Satana illi suppetiæ subministrentur. FILI, quæ dicis, verissima sunt, sed ideò animus despondendus non est, nam quo maior est hostis audacia & potentia, hoc glorioſior succedet corona & victoria. Nec deerunt tibi auxilia mea. tu tantum partibus tuis ne desis, viresque omnes, quas potes pro defendenda castitate, exere, & nullus inimicus siue intus, siue foris tibi palmam eripiet.

IAM verò fili, quandoquidem ipse agnoscis & fateris conueniens esse vt religiosus seruus meus sit castus, sicut & ego, Dominus eius, castus sum: noris, me semper fuisse tam ardentem honestatis amatorem, vt aduersarij mei, qui in pluribus rebus me sunt calumniati, non ausi fuerint vel minimum lapsum contra castitatem mihi obiectare. Tales autem esse debere

debere religiosos, exigit illorum status, cum professionem faciant se meos fore sectatores, & vitæ meę imitatores. Quocirca, cum ingenti affectu castitatem sim complexus, eamque veneratus sim tanquam ducem vitæ spiritalis, conuenit vt ipsi quoque eam velut dominam amplectantur & tractent. Et quoniam tanti facio honestatem, summo autem odio prosequar concupiscentiæ vitium; qua ratione tu vis in domo mea à me tolerari famulum parum honestum? quomodo patiar mihi vllum cultum deferri ab eo, quem scio cor habere impurum? Seruus, qui non se conformat suo Domino, aut beneuolentiam eius conciliare negligit, vel non diu persistet in officio, vel si persistat, exiguum faciet quæstum, & in periculum se coniiciet, ne cum suo dispendio & decore domo pellatur. An ego à seruo meo postulo aliquid indecorum vel impossibile? Postulo honestatem, quæ est virtus principalis. postulo, vt ne sinat se vinci à sensualitate, quod est honorificum. Postulo, quæ sponte promisit, hoc est, vt viuat castè, quod est iustitiæ.

DEINDE aueo cognoscere, in quo consistat relinquere mundum? Certè non vt homo desistat viuere sub cælo, vel in terra com-

commorari, vel hanc haurire auram, hæc enim omnia necessaria sunt, & æquè secularibus, ac religiosis communia sed vt vitam instituat longè à seculari discrepantem. Inter mala seculi huius vnum est, res spirituales negligere, & recreationes, atq; alia carnis sectari solatia. Religiosus igitur, qui syncerè relinquit mundum, vitam gerere debet moribus mundi contrariam, vt mortificando suas cupiditates, illecebris sensuũ renunciando, & aspernando quicquid cæcus hic mundus amat & complectitur. In summa, conuersatio religiosi debet esse in cælis. at nihil æquè retardat desiderium rerum cælestium, nihil æquè rerum spiritalium gustum adimit, atque incontinentia. Atque è contra, nihil æquè promouet religiosum ad ducendam vitam cælestem, sicut vna castitas, quæ, vti cor mundum conseruat, ita sustollit religiosum ad rerum diuinarum contemplationem. Quo vita tua longiùs distabit à mundo, hoc castitas tua erit securior, & in terra ad vitam cælestem ducendam citiùs promouebit.

Fili, perspectanè tibi causa est, cur homo impudicus, ne apud Ethnicos quidem ad tantam impudentiam, venerit, vt ausus fuerit in præsentia aliorum quidquam age-

re lasciuiùs? sed mox pudore suffusus circũspiciat angulos & loca retrusa? Nimirum naturale rationis lumẽ eum docuit, omnes actus impudicos & fædos conspectu hominum indignos, & ideò fugit, & in latebras se abdit, veritus ne aliquid faciat cõtra dignitatẽ suam, & rationis regulam. Itaq; si actus pugnantes cum castitate homine indigni sunt, quãto magis homine Christiano, cuius in lege vitiũ concupiscentię reprehenditur. Ac multò amplius indigni erũt homine religioso, qui castitatẽ professus est, & voti etiã religiõe se ad viuendũ castè obstrinxit. *Qui* in fædis actionibus patrãdis aspectũ hominum fugit, non tamen effugiet conspectum Dei vbiq; existentis, & omnia contemplãtis.

QVOD homo amore mei permotus subiiciat se alteri homini inferiori, pendens ab eius voluntate, & in omnibus obtemperans, honorificum est, & magni meriti, quia quicquid amore mei fit, mihi fit, & meum est hoc officium remunerari. Verùm, vt homo in sublimi statu constitutus cum suo detrimento & dedecore subiiciat se rei vili, & se inferiori, repugnat voluntati meæ, qui sum Dominus etiam hominis, si non stulti, saltem animi perturbationibus obnoxij. Age nunc dic mihi fili, vtrum potiùs con-

conueniat, religiosum subiicere sibi sentiẽtem partem, nempè ancillam suam, an permittere, vt illa velut domina imperet rationi. Quod si illud conuenientiùs est, & non hoc, conuenit quoq; vt religiosus in precio habeat castitatem, cuius ope ancillam concupiscentiam subiiciat legitimæ Dominæ suæ rationi. Qui se subiicit cui non debet, tractatur quoque sicut non vellet.

FILI, qui habet inimicos, opus habet custodibus corporis. Qui verò eos habet intra & extra suum propugnaculum, sicut in grauiori est periculo, ita maiori indiget præsidio, maximè si vtrique inimici externi & interni, inter se cõspirarint. Quid verò mereretur, qui hostibus internis in vincula coniectis propugnaculum periculo liberasset? Haud dubium est, quin mereretur à propugnaculi Domino impetrare, quicquid vellet. FILI, hostem domesticum vel internum habes vnum, scilicet carnem, & binos foris, mundum & diabolum, qui omnes inter se fœderati sunt, & contendunt cordis tui propugnaculum inuadere. Quantum ergò mereri potest de te castitas, quæ carne, eiusque cupiditatibus belluinis, inimicis domesticis expugnatis, tam ingenti discrimine te eximit? Iudica tu ipse

quanti facere debeas castitatem, quæ & fidelis tua est amica, & tuorum hostium capitalis hostis? Vide, num conueniat te ei fauere, cum tanto fauore & auxilio te prosequatur. Ingratus sis, si eam non eligas in tui cordis gubernatricem, vt illud ab omni impuritate conseruet immune, & à versutæ concupiscentiæ imposturis defendat. Qui non agnoscit miseriam suam & periculum, non est solicitus de adiutore.

Quod necessarium & perutile sit religiosum esse castum.

CAPVT XVI.

IN quauis re candida & pura minima etiã apparet macula, quoque candidior & nitidior fuerit, hoc clarius se prodit. Sic in vita religiosa, quia candidissima est & purissima, minimus etiam honestatis defectus facilè in oculos incurrit, & aspicientes offendit. Seculares habent religiosos pro quibusdam virtutum speculis Speculum autem, nisi niteat totum & splendeat, offendit. In aliis virtutibus leuis lapsus nunquam tantùm offendit, vel tantùm damnum facit in religioso, ac lapsus in castitate. Religiosus non facilè nominis sui iacturã facit, si aut, quia

natu-

natura cholericus est, nonnihil delinquat in mansuetudine, aut non admodum sit liberalis, aut vanam aucupetur gloriolam, & non sit perfectè humilis, aut in similem aliquem defectum labatur: at si vel minimum delinquat in castitate bonę opinionis famã continuo obscurat. Nam prudens omnis iudicat, religiosum, quantumuis tenaciorẽ & duriorem, posse esse sanctum. similiter natura bilioſum, vel nõnihil curioſum, posse tamen esse pium & deuotum. at dum ventum est ad castitatem, contrarium elicitur. nempè sanctitatem esse nõ posse, vbi sit incontinentia: nec synceram posse esse deuotionem, vbi regnent animi perturbationes. Non potest esse spiritus, vbi dominatur caro. Deindè aliarum virtutum defectus facilè excusantur; vel quod proueniant à complexione naturali, vt cholera, vel quod bono fine & intentione acciderint, vt est parcitas vel tenacitas. At concupiscentiæ carnalis lapsus ab omnibus condemnatur, excusatur à nullo.

OMNES arbitrantur religiosos esse quasi salem terræ, & lucem mundi, vt scriptura mea loquitur. & idcircò opus habent laborare vt veræ salis & lucis proprietates in ipsos conueniant. Sal acrimonia sua exsiccãs *Mat. 5.*

humores præseruat à putrefactione, sed si purum non sit, sed terra permixtum, non solùm non præseruat, sed etiam citiùs putrefacit. Sic religiosus, si purus sit & integer in suis sermonibus & consiliis, facilè seruabit alios, si autem impurus sit & inquinatus aliqua carnalium cupiditatum labecula, prauo exemplo facilè alios perdet. Lux quoque seruit ad illuminandum, & demonstrandum pericula, & præcipitia, sed si candelæ ellychnium sordidum sit, vel humidum, plus fumi reddet, quàm lucis. Sic religiosus, si corde purus non fuerit, non solùm non illuminabit, sed obscuriorem etiam reddet viam, vt ipse, & omnes qui ei adhærent, turpiter impingant, ac demùm plus fætoris quàm luminis subministrent. Difficulter conseruabit, & illuminabit alios, qui se conseruare & illustrare negligit.

PRÆTEREA vita religiosa tam tenera & delicata est, vt non solùm puritatis defectus, sed minima quoque incontinentiæ suspicio multum religioso noceat. Nam qualis esset illa prudens matrona, quæ auxilij consiliiuè capiendi causa adiret religiosum de intemperantia suspectum? Nonnè ingens miseria est, religiosum mihi consecratum

malè

malè audire in hac re apud seculares? Certè religiosus qui nihil pensi habet de bona fama sua apud proximum, nullum quoque fructum fert ex illo. O quàm grauiter delinquunt religiosi, qui non cauent occasiones incurrendi talis vitij infamiam, sed persuadent sibi satis esse, si facto nihil mali designent, quicquid demum homines lo-quantur. Nequaquam immunes à culpa sunt, si vel occationem talium detractationum præbuerint; tenentur enim non solùm vitium illud fugere, sed etiam omnem illius suspicionem auertere. Cui dæmon displicet, is & depictum horret.

Domo propria aliquem contra rationem exturbare non conuenit, nec salua conscientiæ religione fieri potest. Recordare, fili, cor tuum esse templum, & domum meam. Ego eius fundamenta ieci, ædificaui, & refeci, ac quicquid in ea pulcrum & precioſum est, à me est profectum. Vt autem hæc domus perpetuò niteret, egoque continuò in ea habitarem, illam castitati, tanquam fidæ & vigilanti custodi tradidi custodiendam. Quod si tu nunc velis me contra omnem rationem ex ea pellere, non facies sine maximo sacrilegio. Et si velis ex cordis tui

domicilio eiicere castitatem, vt in eo dominetur concupiscentia, id quoque citra graue crimen non potes facere Qui eum exterminat à quo adiuuatur & honore afficitur, facilè incidet in manum alicuius, qui eum velut fatuum egregiè multet. Dic quęso, quando votum perpetuæ castitatis edidisti, quid Deo spospondèris? nonnè, quod esses deinceps omnibus carnalibus cupiditatibus, tum corporis, tum cordis bellum illaturus? nonnè promisisti te castum permansurum vsque ad extremum vitæ spiritũ? An non ergò tibi videtur necessario præstandam esse sponsionem, cum non possis amplius respicere retro? Non ignoras quid
1. Cor 3. meus Apostolus dicat. *Qui templum Dei violauerit, vel macularit, disperdet illum Deus.* Et si tu propter voluptatulam aliquam carnalem me è tuo corde exterminas, quo iure vis te à me recipi in regnum cælorum? Et si propter leuem illecebram sensuum inquinando cor, malè tractas castitatem, qua ratione exiges vt illa te perducat ad Dei visionem, mundis corde duntaxat promissam? Intellige itaque nulla ratione tibi expedire, vt vel leuissimè contra honestatem delinquas, quia voto castitatis addixisti te nulla ratione læsurum puritatem castitatis, nec in magnis, nec in paruis. Neces-

NECESSARIVM insuper est religiosum ad perfectionē castitatis ideò aspirare, quod professionem fecerit agendæ vitæ spiritualis, quæ cum nō habeat hostem infensiorē concupiscentia carnis, non potest certè vitam ducere spiritualem, nisi carnem omninò spiritui subiecerit. Nam religiosus, qui verè est spiritualis, non solùm alienus esse debet à vitio carnis, sed etiam abhorrere ab omnibus quæ ex carne oriuntur, vel aliquod cum carne commercium habent. Itaque debet, & prauas cogitationes, & impuras suggestiones sedulò & vigilanter excludere. In colloquiis debet esse circūspectus, vt ne vel vnicum verbulum cum honestate pugnans effutiat. non oculos coniicere in actus lasciuos, etiamsi citra peccatum fieant. Atq; hæc ad mortificandam carnē iuuant Verùm animaduertas velim fili, carnē nonnunquam fingere se mortuam, cum mortificata non sit, simulare quoque se spiritui subiectissimam. At tunc prudens & spiritualis religiosus sedulò aduigilare debet; fingere enim ista solet spe commodorum, maiorisque libertatis, & paulatim religioso persuadet, vt aliquid de pristina seueritate demat, se paratam promptissimum spiritui præstare obsequium. Sed qui hic halucinari

non vult, nec in fraudem induci ab astutia carnis, vtatur consilio Patris sui spiritualis. Non est fidendum inimico fingenti, quia fingendo te prodit.

De castitatis religiosæ vtilitate.

CAPVT XVII.

Mat.19. FILI, quando ego in Euangelio sub Eunuchorum nomine laudaui eos, qui amore mei sponte edunt votũ castitatis perpetuæ, (hoc enim est facere se Eunuchũ, & propter regnum cælorũ se castrare) idipsum ego intendebam, quia homo tali voto, quasi peracuto cultello vno ictu omnem potestatẽ, occasionesque vsurpandarum voluptatum carnaliũ abscindit. Quod enim amplius licitum non est, verè dicitur, fieri non posse. Laudando autẽ hos meos castos Eunuchos subiunxi. *Qui potest capere, capiat*: sciebam enim non omnes intellecturos maximas vtilitates, quas continentia perpetua affert religiosis. Omitto hîc, quod eius beneficio infinitis liberentur molestiis, & vilibus carnis insolentiis, quæ vbi vel minimum obtinuerit imperium, etiam sapientes in barathrum vitiorum præcipites agit. Et si opum externarum cura permolesta est, ob solicitudinem quam secum trahunt, multò sanè

mole-

meleſtior eſt concupiſcentia, quæ cum domeſtica ſit, ſauciat fortiùs, & ideò plagæ ſunt magis lethales. Taceo quoque, quod liberentur multis afflictionibus, & faſtidioſis rei domeſticæ curis, quæ tantam ſæpè moleſtiam afferunt, vt redigant ad deſperationem. Patrifamilias incumbit prouidere ſuæ coniugi, liberorum rectæ educationi, filiarum deindè collocationi in matrimonium, curare ne quicquam rerum neceſſariarum deſit, vt quotidiè victus in promptu ſit, vt famuli & ancillæ ſuo munere ritè fungantur. Et quanquam omnes in familia probi ſint, & modeſti, tamen ærumnæ non deſunt. quid ergò eſt, ſi in ea multi ſint peruerſi & inſolentes? Prætermitto etiam, quod religioſi beneficio dicti voti liberi reddantur ab vxorum & filiorum ſuſpicionibus, quæ ita ſubindè ſolent maritos excruciare, vt pœnè in inſaniam vel amentiam redigantur. Denique abſtineo à commemorandis innumeris aliis incommodis, & infauſtis caſibus, qui improuiſo in familiis accidunt, & patresfamilias mirum in modum exagitare ſolent. Væ religioſo, qui à tot tricis & laqueis immunis & ſolutus, non anhelat ad perfectionem ſui ſtatus.

Caſti-

CASTITAS religiosa ergò has omnes molestias, & inquietas cogitationes abscindit, facitq;, vt religiosus, tanquam cæli ciuis sua vocatione contentus tantùm rerum cælestium meditationi, suæq; saluti procurandæ vacet. Quod quã salutare sit, probè norunt ij religiosi, qui longè ab occupationibus dictis remoti, vitam cælibem & felicem ducunt. Norunt etiam afflicti seculares, qui magno suo damno & dolore quotidie experiuntur istas ærumnas. Et si aliud non esset, quàm cogitare quemadmodum placeant vxoribus, quomodo coram mundo compareant, qua ratione sanguine iunctis & cognatis faciant satis, hoc eis sufficeret ad crucem non exiguam vsque ad mortem sustinendam. Verùm religiosi casti non habent opus aliud cogitare, quàm quomodo mihi placeant. O quanto faciliùs est placere mihi quàm mundo? & quanto citiùs satisfit creatori quàm creaturæ. Quisquis in hac vita plus placet Deo, in aula quoq; eius ad maiorem honorem euehetur.

1. Cor. 7. DEINDE secularis matrimonio constrictus, non habet sui corporis potestatem, sed mulier est eius domina. Ita enim scribit meus Apostolus, & est verissimum, ac matrimonij lex id postulat. At nonne hæc est quædã

seruí-

seruitus? Seruire mulieri, nonnè dura seruitus est? cumq; non vno, non decem annis, sed morte tantùm finiatur, nonnè est perpetua? Fatendum quidem est, tribulationē leuiorem esse, quando homo incidit in mulierem virtute præditam, tamen non idcircò nomen amittit seruitutis. at quando incidit in vanam, impudentem & rixosam, quid aliud est quàm infernus? quanta mariti miseria? quod mancipium peius illo tractatur? Cæterùm castus religiosus rem habet cum castitate, virtute scilicet benigna, negotium habet mecum, qui licet sim Dominus eius, tamen simul sum clementissimus Pater. Et mihi seruire per votum castitatis, non est aliud, quàm meritorum suorum cumulum augere. Infelix est, qui aliis seruiendo nullum lucrum facit, infelicior verò, qui etiam rerum suarum iacturam patitur.

ADHÆC qui cogitur noctu diuq; commorari cum fera crudeli & virulenta, luculento in discrimine versatur, ne aut morsu aut veneno conficiatur: sed si quis illi occludere possit os, vt neque mordere, neque virus profundere posset, faceret rem sibi nō minùs velim, quàm pergraram. Fili, fera nulla ferocior aut violentior est carne nostra,

stra, cuius morsus & virus exitium conciliat animæ. cum ergò noctu diuque cum ea hærere cogamur, non dubium est, quin anima nostra in magno versetur periculo. Ab hoc periculo animam eximit castitas, nam suam Voti vinculo astringens concupiscentiam, quæ est os belluæ, facit vt mordere, vel venena fundere non possit. Commiseratione dignus non est, qui sinit se lædi à bestia alligata; nec meretur veniam, qui oblata præsidia contemnit.

QVANDO in republica oritur tumultus, ad eum sedandum necesse est, vt qui eum excitauit ilicò comprehendatur; nam cum plebs cæterumque vulgus nullo duce nititur, per se statim diffluit, & tumultus componitur. In religioso, qui similis est reipublicæ benè ordinatę, excitatur tumultus, quãdo pars animi inferior discrepat à superiori. Ad sedandum ergò tumultum, tranquillandamque rempublicam opus est carnem, quæ populi dux est, & passiones in animam, ac sensuum cupiditates in rationem concitat, in vincula coniicere. Castitas autẽ est illa, quæ votorũ ope carnem in vincula coniicit, & custodiẽdo cor, quæ est religiosi arx, tuetur Reipub tranquillitatem. Hæc vtilitas, quam Castitas religiosa efficit, tanti momen-

mométi est, vt religiosus ea destitutus nihil distet à confusa quadam Babylonia

HINC verò nascitur & alia vtilitas non inferior iam dictis. quod nimirum religiosus, quoniam beneficio castitatis obtinuit pacem in se & quietem, poterit etiam ab hostibus, qui foris sunt referre victoriam. Imperator belli, qui milites habet inter se consentientes, sibique obsequentes, licet pauci sint, facilè potitur victoria. Sic religiosus, si partis sentientis facultates teneat subiectas & obsequentes superiori, securè poterit manum cum hoste conserere, & sine dubio reportabit victoriam. Paucitas in exercitu concors longè præstat multitudine discordi. Et ideò dux belli eos inprimis devincire beneficiis in acie debet, qui auctores sunt concordiæ aliorum & pacis. Sic in militia spirituali, religiosus, qui est quasi dux, magni facere debet castitatem, quę militum promouet pacem. Facilè superatur, qui antequã cum hoste confligat, non prius militum animos ad concordiam reuocauit.

De amittendæ castitatis periculis.

CAPVT XVIII.

FILI, nosti benè, castitatem esse magni precij & valoris gemmam, non minus mihi

mihi gratam, quàm tibi salutarem. Sed sciendum quoque est, multos esse prædones, & pariter inimicos, qui eam conantur tibi eripere, aut certè destruere ex odio quo in te flagrant. Itaque opus est te vigilare, & communitum esse contra eorum insultus. Neq; tibi plus æquo fidas, etiamsi caro castitatis hostis sit ligata voto: tam enim est versuta & insolens, vt si non possit disruptis vinculis, quod semper conatur, euadere, tamen pro inueterato more suo, quantumuis ligata seditionem commoueat, quia rumoribus confisa, aut sperat se libertate donandam, aut vulnus aliquod lethale Castitati se inflicturam. Nec confide, castitatem, etiamsi per aliquod tempus in cordis religiosi castro sedem fixerit, idcircò esse securam; nam & firmissima propugnacula expugnantur, & frequenter nimia securitas noxia est, eò quod securitas mater sit torporis & incuriæ.

PRIMVM igitur periculum impendens est proditionis: castitas enim cum septa sit vtrisq; inimicis, domesticis & externis facilè prodi potest. Quare aduigilandum est religioso, ne carni, inimico domestico, suppetias ferant externi. Fili, si lautè vis tractari in cibo & potu, & somno, quoad libet, indulgere,

gere, & nihilominùs arbitraris te posse sartam tectam seruare castitatem contra libidinis insultus, falleris vehementer, quia hac via non aliud efficis, quàm quod arma præbeas tuæ carni. Quid verò mirum est, si illa postea insurgat in spiritum? Quid mirum, si tentet disrumpere voti vincula, & exterminare castitatem, etiamsi multo tempore perstiterit in domo? Vis carnem non lasciuire? castiga illam parcitate victus. Vis castitatem non prodi, non domo exturbari? adhibe ei custodes. Ieiunia & vigiliæ boni sunt custodes, qui non solùm eam custodiunt, verùm etiam arma hostibus adimunt, ne possint insurgere. Quo amplius carni abblandiris, hoc illa validius se aduersus castitatem munit.

Domine, ad vitam tolerandam, & seruiendum diuinæ tuæ maiestati, opus profectò est, cibo, potu & somno quod autem indè caro insolescat, & insurgat in spiritum, vel castitatem, non est culpa nostra, quia hic finis propositus nobis non est. Fili, Ego non reprehendo ea, quæ ad vitam tolerandam, & labores nomine meo sustinendos sunt necessaria: quicquid enim ad cultum & gloriam meam dirigitur, benedictum est & laude dignum; tantum improbo superua-

canea. Non necessarius, sed immoderatus cibus potusuè inflammat carnis concupiscentiam, & in periculum coniicit castitatē. Qui nimium comedit, non mihi, sed suæ cupiditati seruit. Mihi placent, qui comedunt vt viuant, mihiq; seruiant; contra magnoperè displicent, qui viuere videntur vt comedāt. Non ita fecerunt quidam carissimi mei serui, quibus manducare erat pœna, somno indulgere fastidium. Atque in his castitas regnabat Moderatus victus prodest animæ & corpori, & contra nimius nocet animæ & corpori.

ALIVD periculum impendet ex sensibus, qui cum sint cordis, in quo castitas cōmoratur, ostia, firmo indigent præsidio, eò quod æquè mala ac bona ingressum perilla habere queant. Qui non gerit sedulam curam ianuæ domus suæ, sæpè deprehendet aliquid tibi sublatum, aut intra illam offendet, quod non optabat. Idcircò enim ostia sic fabricantur, vt claudi & aperiri possint. Clauduntur hominibus ignotis, & qui damnum adferre queant. Aperiuntur notis & amicis, qui possunt esse adiumento. Religiosus non debet cuiquam aditum dare ad domicilium castitatis, nisi diligenter prius examinato. Sic fit in extremis

tremis regnorum, ditionumuè oppidis, & maximè vbi ſuſpicio eſt de hoſtilibus inſidiis. Vbi non ſolùm inquiſitio inſtituitur in homines ingredi cupientes, ſed etiam in eorum ſarcinas, litteras & arma, ne quid noxium inferatur vrbi. Atq; hæc vigilantia non vituperatur, ſed laudatur. Crebrò enim ne hæc quidem medetur omnibus incommodis; cum experientia conſtet nihilominùs cuſtodes portarum non rarò in fraudem induci. Cur ergò religioſus minus aduigilare debeat in cuſtodiendis ſui cordis portis, in quo omne bonum ſuum habet, atque vndè eius ſalus, vel damnatio pendet æterna? Quis dicet nimiam eſſe vigilantiam, vbi tanta hoſtium eſt copia? Qui ſuorum ſenſuum feneſtras malè cuſtodit, mortem reperiet in domo.

PRÆTEREA conuerſari cum hominibus laſciuis, aut parum caſtis, eſt ſe conijcere in manifeſtum caſtitatis diſcrimen. nam, vt experientia docuit, plures caſti à laſciuis traducti ſunt ad intemperantiam, quam laſciui ad caſtitatem à caſtis. Ea enim naturæ humanę cõditio eſt, vt poſt amiſſã ſemel vitæ integritatẽ in malũ, quam in bonũ proclinior ſit, & inſtar ægrotorũ potiùs inhiet iis quæ guſtũ oblectent, quam quæ ſanitati

prosint. Si verò conuersatio cum huiusmodi hominum genere fortè oriatur ex affectione inordinata, grauiùs instat periculũ. Nam si sola consuetudo cum hominibus parum pudicis periculosa est, quanti periculi erit conuersari cum affectione carnali? Qui foris prouocatur ab obiecto, & intus stimulatur ab affectu, citò labitur, etiamsi sit spiritualis. Et ideò serui mei qui ardenti castitatis amore flagrarunt, simulatq; animaduerterunt inordinata aliqua affectione se trahi ad consuetudinem parum tutam statim eam velut castitatis inimicam repudiarunt, imò abscíderunt. facilè siquidem claudicare discit, qui frequentiùs conuersatur cum claudis.

IDEM periculum affert lasciuorum librorum lectio, quia repugnant castitati. Nescio qua ratione excusari possit religiosus, qui talem pestem in cubiculo suo retinet. Venenum, licet cibis bonis permixtum, non desinit esse venenum, vel exitium afferre illud sumentibus; sic res impudicæ, siue pictura sint expressæ, siue in libris sanæ doctrinæ permixtæ, neq; turpitudinis nomen amittunt, neque desinunt obesse spectantibus, legentibus vel audientibus. Et si secularibus bona conscientia permitti non potest tali-

talium librorũ lectio, qua ratione permitteturreligiosis castitatem professis? Quod in libris legitur, hoc in corde ruminatur, & quod in corde ruminatur, facilè in affectu retinetur.

Est & alius hostis castitatis, hoc magis pertimescendus, quò ægrius cognoscitur. Nimia videlicet securitas & confidentia religiosi in sua continentia. Hæc enim multos impulit in lapsum, nec mirum. quia est superbiæ filia. Qui vult esse castus, & pericula non fugit, nimis de se præsumit. Non ita fecerunt humiles & casti mei serui: sed viribus suis diffisi, quicquid cupiditates carnis inflammare poterat, studiosè refugerunt. Nimia securitas, vt non faciat religiosum temerarium, saltem facit negligentem & incurium, quorum vtrumque non paruũ creat periculum castitatis. Qui sibi nimium præfidit, facilè se exponit periculis, & idcircò sæpe inducitur in fraudem, & iacturam maiorem, quàm putabat, facit.

De mediis ad conseruandam castitatem idoneis.

CAPVT XIX.

FIL. 1, in præliis, quæ inter homines gerũ-

tur, vtile est nunc se in conspectum hostis dare, nunc minoribus copiis eum lacessere, solet enim audacia animos hostiles deiicere & in fugam compellere. Verùm in hoc bello spirituali, vbi cum carnis vitio dimicandum est, fuga potiùs quàm congressu, victoria obtinetur. Nam qui conatur hostem suum inuadere, in maximum periculũ se coniicit ne vincatur, & ordinariè plus damni quàm lucri facit. Neque mirum id tibi videri debet, quia in huius mundi conflictibus, dum impressio fit in hostem, animi militum magis accenduntur, aduersariorum verò langueſcunt. In hoc autem conflictu accidit contrarium, quò enim acriùs concupiscentiæ restiteris, hoc illa ferocit magis, & inflammata continenter aut ferit, aut pungit : ac proindè consultiùs fugitur. Tu Salomone sapientior non es, qui quóniam occasiones non fugit, tam fædè lapsus est. Ioannes baptista, meus præcursor, etiamsi in vtero matris esset sanctificatus, tamen vt omnes delinquendi fugeret occasiones, etiamnum puer in solitudinem se abdidit. Et tu qui neque es sanctificatus, neque tanta virtute præditus, vis inter medias occasiones te ingerere, & hosti resistere? Signum id manifestum, vel quod nullam

lam tui notitiam sis consecutus, vel quod parui facias donum castitatis.

ALTERVM medium est, fædas suggestiones menti à dæmone obiectas citissimè repellere. Sunt enim velut plantulæ quædam, quæ nisi ilicò ex animæ horto effodiantur, mox agunt radices, crescunt, & simul producunt spinas, quę animam pungant, & castitatem suffocent. Religiosus, qui turpes cogitationes, postquam eas animaduertit, à se non abiicit, indicat sibi eas placere: & si placent, qua ratione amare potest puritatem mentis, quæ talibus cogitationibus inquinatur? Si fædæ cogitationes etiam nocent, quamprimùm exortæ sunt, quanto magis nocebunt si mora interposita conualuerint? Carbunculi licet minimi, si aliquã to tempore sub pannis delitescant & fætorẽ excitant, & pannos lædunt. Si religiosi considerarent, quantis incomodis se liberent, si statim à primis initiis fædas carnis suggestiones profligent, nullus sineret paruulos Babylonis in cordis sui penetralibus crescere, sed confestim allideret ad petram. Nostra ignauia in exterminandis impuris cogitationibus, facit dæmonem diligentem & audacem in nobis contra castitatem tentandis,

IVVAT quoque ad castitatem conseruâdam, nonnunquam esse cæcum, surdum & mutum. Si enim verum est, non esse fas videre vel audire, quod non licet desiderare; quam causam habet religiosus, vt, dum in publicũ prodit, in omniũ occurrentiũ vultũ oculos coniiciat? relinquat hoc munus pictoribus, qui vt rectè vultus humanos exprimant, necesse habent oculos in eos defigere. Bonus castusque religiosus potius sibi contemplandos sumit vultus, quales futuri sunt post mortem, quàm quales sunt in vita. Quid enim prodest, contueri ea, quæ parũ salũtaria sunt, imò quæ impediunt rerum vtilium meditationem? Quò minus res huius mundi oculis, vel auribus vsurpaueris, hoc securiùs solatio castitatis perfrueris.

NON paruum adhæc ad puritatem mentis conseruandam adiumentũ affert, otij fuga, quod vti castitati permolestum est, ita carni est gratissimum, quæ otio solet pingueſcere, & consequenter in castitatem ferocior indies reddi. Otium agere est ostium patefacere furibus & prædonibus. Qui enim nihil curat, iacturam rerum suarum facere, is non aliud agit, quàm opportunitatem præbet diripiendi sua prædonibus. Qui

bene

benè est occupatus, nulli aures præbere solet nisi in rebus necessariis. Qui verò otiosus est, & recreationibus deditus, omnibus audientiam offert, æquè promptus ad seculária ac spiritalia colloquia. Sed si spiritalia sint, mox euanescunt, si secularia & carnalia otio augentur. Tu modo vide, num conueniat te esse otiosum, qui ad religionem non veniſti, nisi vt multos sustineres pro Christo labores. deindè an congruat per otium aduersus castitatem patrocinari carni, cum voto Deo promiseris castitatem? Nonnulli in dæmonem culpam coniiciunt, quod nimium fædis cogitationibus exagitentur, cum potiùs ipsi sint culpabiles. ille enim tẽtando conatur occupationes ingerere iis qui nullas habent, vt officio suo faciat satis. Quare si illi semper pia aliqua actione distenti essent, dæmon locum non haberet, & castitas tutiùs conseruaretur. Velle vacare otio, & tentari nolle, simul cohærere nequeunt, quia nihil æquè ad spicula tentationum iacienda inuitat dæmonem ac otium.

SERVI mei, qui modo felices regnant in cælo, ad tuendam in terra castitatem in duabus maximè virtutibus, humilitate scilicet & pœnitentia se exercuerunt. Humili-

ras cordis, ceu pia mater, omninò conatur castitatem tanquam caram filiam suam conseruare. Probè siquidem illi serui mei intelligebant, admodum difficile esse ab homine superbo & arrogante saluam & incolumẽ teneri castitatem. Pœnitentia quoque conseruatrix est castitatis, quantum attinet ad corpus & idcircò mortificãdæ carni admodum dediti fuêre, hi ieiuniis, illi disciplinis, alij vigiliis, ciliciis, & id genus afflictionibus, scientes eas esse quasi antidota præseruatiua puritatis. Quando autem hæc remedia non iuuabant, adhibeant efficaciora. Vndè quidam ad extinguendum libidinis ardorem se in gelidissimas aquas immersérunt, alij in niues, alij in vrticas & vepres se nudos abiecêre, alij digitos ambussêre. Quibus actibus declararunt se magnos carnis inimicos, & fidos conseruatores castitatis. Non potest domari corpus, nisi adhibita aliqua seueritate. Corpus autem indomitum molestè fert castitatem, ac tandem vel prorsus abiicit, vel non diu eam custodit inuiolatam.

DE VOTO OBEDIENTIÆ.

In quo consistat obedientia religiosa.

Caput

CAPVT XX.

DOMINE, etiamsi vehementer optarim hunc vitæ cursum sine lapsu & erratis transigere, tamen toties erro & labor, vt pudefiam. In quibusdam rebus nimium festino, in aliis æquo sum cunctantior, nec statuere satis possum quid facto opus sit; multa etiam aggredior, sed euentu parum felici. FILI, in hac vita, nullus sibi sufficiens est, vt viuat, quemadmodum debet, eò quod nullus ad eam cognitionis perfectionem peruenerit, vt ab omni errore sit immunis. Non constat tibi, quid cras futurum sit. Hominum corda tibi sunt ignota & inscrutabilia. Sed neque benè cognoscis teipsum. Quomodo ergò sine lapsu vel errore vllo poteris aut conuersari cum aliis, aut gubernare teipsum? Qui iter facit in tenebris, si non labitur, impingit saltem, vel à via aberrat. Ac vt supperat tibi sufficiens notitia, & lumen, vbi sunt vires & præsidia ad expugnandas difficultates, quæ crebrò incurrunt, necessaria? Etenim tam vehementes sunt animi perturbationes, vt trāsuersos rapiant etiam eos, qui humanę naturæ conditionē excessisse videntur, nec ad eas coërcēdas satis sint vires naturæ. Quod si in vita natu-

naturali, in qua lumen rationis omnibus affulget, tot existunt errores, quod erunt in spirituali, in qua & minus suppeditat lucis ac notitiæ, & grauiores occurrunt difficultates? Sic est Domine, sed nos in his tenebris manebimus omnis auxilij, remediisq; expertes? FILI, in hac necessitate auxilium remediumq; præstare potest virtus Obedientiæ, cuius vulgare elogium est. SINE, TE REGI. Qui iter facit, nec videt quantũ opus est, duobus indiget & facultate videndi prædito, & viarum gnaro. Obedientiæ virtus est, quæ religiosum in manus meas tradit, quò eum ducam & dirigam. Cumq; ego sim peritus viarum, eiusque anfractuum & difficultatum, quilibet religiosus securus sit, se fideliter à me ea via ducendum, quæ eum ad salutem æternam perducat; modo ille ex parte sua se regi, & vsque ad terminũ deduci sinat. Religiosi omnes, dum renunciant mundo, incipiunt me sequi: sed multi arbitrantes se non indigere meo ducatu, me deserunt, non meo sed tuo damno. Non satis est incepisse Si tantùm initio huius viæ obiicerent se difficultates, causam aliquam se excusandi haberent; sed cum eædem se offerant toto itineris decursu, non est à duce recedendum. Qui viarum ignarus du-

cem

cem contemnit, declarat, se parui facere errores.

In mundo, ego guberno & administro omnia. Per me reges regnant, & Principes imperant. Per me legislatores iusta decernunt, & Iudices iustitiam administrant. Cumq; ego mandauerim obedientiam prę-stari Dominis temporalibus, quisquis eorū mandatis resistit, mihi meęque ordinationi resistit. Idem est in naui religionis, in qua quoq; ego sum gubernator supremus. Ego guberno eam, & in portum dirigo. Ego onera distribuo nautis, & officia assigno iis, quibus alij obtemperare debeant. Et cū ego in vnoquoq; eorum sim, & decernam quid cuique subdito agendum sit, obedire illis, non est aliud, quam obedire mihi; eoldemque aspernari, est aspernari me. Omnes religiosi in naui quidem sunt, sed non omnes nauigant feliciter. Qui in illa se gubernari permittit expers periculi nauigat, nec habet vndè turbari queat, ac proindè, vt vulgo dicitur, iter facit dormiendo. Verùm qui nō sint se ab alio gubernari, ægrè hæret in naui. nunc dolens se conscēdisse nunc optans exilire in littus, & animo deiectus nulla ex re capit voluptatem. At vndè hoc nascitur? quia optaret nauē dirigi pro arbitratu suo.

Hoc

Hoc autem est velle regere, & non regi. Væ religioni, quæ se accommodat quorumlibet subditorum propensioni & voluntati. Qui nauigio proficiscitur, debet cũformare se nauigio, & non contra, nauigium ipsi. Nõ esset bona profectio, nec portum vnquam teneret nauis, si nauigatio secundùm cuiusque ingenium instituëretur. Viuere in pace non potest religiosus, qui alienum detrectat imperium.

Aues accuratiùs cognoscere, quid sit Obedientia? Non est aliud, quàm sepultura. Vis intelligere, in quo consistat obedire? consistit in sepultura propriæ voluntatis. O beatum religiosum, qui verè affirmare potest. Iam sepeliui meum velle & nolle. iam iusta meæ voluntatis libertati persolui, quia à se abiecit, quicquid aditum ad cælum poterat retardare Nemo potest suscipere crucem suam, & me sequi, nisi prius voluntatem suam humauerit, & seipsum abnegarit Religiosus retinens suæ voluntatis, & faciens quod illi libuerit, mortuus mundo non est; & ideò non pertinet ad religionem, quæ veluti vnica est, sic vna regi debet voluntate, nempè Superioris, cæteræ autem subditorum voluntates debent esse sepultæ: si enim secus fiat, non secus

ac ca-

accadauer insepultum, intolerabilem fœtorem edent.

Dic rogo fili, si quis nulla ex causa, solo arbitratu suo cadauer aliquot à multis mensibus sepultum exhumaret, nonnè omnibus præsentibus maximum incuteret horrorem, & se ridendum propinaret? Quid verò aliud est his ordinis constitutionibus, vel Superiorum mandatis non obtemperare, quàm exhumare tuum velle & nolle, quę duo cadauera in religionis ingressu tuo sepelisti cum firmo proposito ea nunquam extrahendi? An existimas te excusatum apud me, dum illa nunc appellas, possum & non possum. Illud non possum, quod dixisti tuo Superiori, non dixisti mihi. Ego perfectè noui quid quisque possit, vel non possit. Video etiam quid religiosus in ore, & quid in corde gestet. Atque item perspectum habeo, quando non posse, sit non velle ad effugiendum aliquod incommodum, vel laborem. Quamuis verò Superior falsam subditi excusationem accepter, nec expendat, possitnè verè perficere, vel non, quod imponitur, non idcircò subditus lætari debet. Nam res tota non hoc loco consistet, sed suo tempore examinabitur à meo tribunali, in quo extrema pronun-

pronunciabitur ſententia, citra vllam ſpem ſecuturæ appellationis. Homines in diiudicanda rei veritate poſſunt in fraudem induci, at Deus, qui omnia explorata habet intus & foris, non poteſt.

Quam grata ſit Deo obedientia religioſorum.

CAPVT XXI.

FILI, minimè te latet, quis exitus fuerit inobedientiæ Adami primi parentis veſtri, nempè vt non ſolùm ipſe è paradiſo terreſtri exularit, verùm etiam cum tota poſteritate ſua fuerit maledictioni obnoxiùs. Labores in terra, ſudores ad veſcendum pane, dolores partus, omnesque aliæ ærumnæ, quibus genus humanum affligitur ſunt pœnæ & maledictiones inobedientiæ, quæ cum ſit filia Superbiæ alios fructus producere non potuit. Tu ſcis quoque quid ſecutum ſit ex obedientia Abrahæ, vt nimirum ipſe non ſolùm, eiusque familia tota, ſed omnes mundi gentes ſint benedictæ in illius ſemine, è quo naſciturus erat, qui ſua obedientia portas cæli ab inobedientia cõcluſas patefaceret: ſic vt verè dici poſſit omnia dona cæleſtia, gratias oẽs & virtutes

eſſe

esse Obedientiæ effectus & benedictiones.

Deinde, si obedientia cum expresso meo mandato coniuncta, quæ videtur hominem quasi compellere ad iussa præstanda, tam grata est, vt eam copiosè remunerem, quanto gratior esse debet obedientia religiosa, ratione cuius homo non ex imperio alicuius, sed syncero Dei amore incensus spontè, repugnante licet contraria propensione naturæ, se obligat ad præstanda mea consilia? Adhæc, cum non ignorem, hominem natum ad sublimia, procliuemq; ad designanda opera heroica, tamen cum video eum amore mei se abiicere, si mundi iudicio stemus, ad functiones viles & contemptibiles (licet apud me sint honorificæ & eximiæ.) cum item video eum non gloriam, applausumque hominum aucupari, sed potiùs sui despicientiam: cum video, quod se propria voluntate exuat, quæ fons est & radix omnium generosorum operum, quibus homo coram mundo summos honores promereri potest: cum rursus video, vt mihi placeat, eum se subiicere alteri homini natura æquali, & sæpè in religione etiam iis quibus in seculo imperabat, quomodo, inquam, fieri potest, vt non intimo amore prosequar obedientes? vt ea obedi-

entia, quæ religiosos ad tanta amore mei præstanda excitat, non sit mihi gratissima? Quomodo non exaltem eos & euehamad summas dignitates, qui vt amore mei obedirent, se etiã contra naturæ inclinationẽ eovsq; demiserunt. Nunquã iacturã vllã facere potest, qui multum præstat propter Deum.

GRATA insuper mihi est obedientia, quia subditos reddit tractabiles, & ad quẽuis Superioris nutum promptos & paratos. Nihil æquè solatur & iuuat Superiores, quã habere subditos tractabiles. O quàm mihi arridet religiosus, qui cum gaudio quicquid superior mandarit, præstare aggreditur; & si rursus ab inchoato opere cessare iubeatur, eodem cum gaudio cessat, & aliud nouum promptè exequitur. E contra, nihil æquè contristat superiorẽ, & gemere sub onere gubernatiõis facit, ac habere subditos refractarios, & ad parendum tardos ac difficiles. Bestia non tractabilis, haud facilè sinit onera imponi tergo, & postquam cum labore imposita fuerint, aut in terrã abiicit, aut tam impatienter deportat, vt ingenti vigilantia opus sit & cura, ne tandem ea excutiat. Superior, qui difficiles & morosos habet subditos, non potest eis confidere. itaque, si quid eis, licet exiguũ, imperandũ sit, maiore

circum-

circumspectione opus habet, quàm si res sit cum animali indomito. Hinc fit, vt cũ subditus alioquin reuereri & timere debeat superiorem suum, contrarium prorsus vitio dictæ inobedientiæ fiat, hoc est, vt Superior timeat subditum, quem, ne illi ansam vllam præbeat ordinem deserendi, aliorum cum offendiculo, suo relinquit arbitrio, nihil illi mandans, nulla in re arguens. O miseria deploranda. Ille in seculo vitam agebat pro libito, non impensis alienis, sed suis. in religione autem vult viuere arbitratu suo, & sumptibus meis, meoque sanguine: quod sicut citra iniustitiam non fit, sic nec impunè fieri potest. Qua ratione non odio prosequar inobedientiam, quæ tanta iniuria afficit religionem? Quomodo non displiceant inobedientes, qui suæ religionis sunt ruina? Non est hic status obedientium. Nã Superior cum obedientibus agit securè, sine arte, sine cæremoniis, fidit illis, & si aliquid licet arduũ, imperet illis, promptissimè exequuntur. Sine labore & facilè obtemperat, qui quęuis mãdata sine tergiuersatione amplectitur: at qui coactus cedit mandato Superioris, vel non exequitur illud, vel malè exequitur, laboris quidem corticẽ retinet, sed nucleum, id est meriti obedientiæ fructum amittit.

ACCEDIT, obedientiam religiosam eò quoque nomine mihi gratam, quia multas alias in se continet virtutes, earumq; actiones exercet. Quando enim religiosus obedientię causa se subiicit aliis sibi æqualibus, aut inferioribus, exercet virtutem humilitatis. Si mandata superiorum quæ præstat sint difficilia, exercet virtutem fortitudinis, quoniam difficultatem superat. Si repugnent sensui, vel naturę suæ, exercet patientiam, quia tolerat sibi aduersa. Si amore mei obediat, exercet caritatem. Et sic obedientia religiosos efficit similes mihi, quia mea obedientia quoque has virtutes annexas habuit. Cum verò similitudo sit causa amoris & beneuolentiæ, liquidò sequitur omnes obedientes mihi esse deuinctissimos. Quò plures virtutes coniunctæ sunt cum obedientia, hoc obediens plus promeretur.

FIAT, donum eò gratius est ei, cui donatur, quo est rei præstantioris. Similiter gratius est, quando exclusa omni vtilitate donantis est tantum beneuolentiæ internæ donatoris argumentum & testimonium. Obedientia ergò cum sit donum libertatis humanæ, qua nihil præstantius vel nobilius religiosus habet, non potest non esse mihi carissima, eoq; carior, quod ad hoc donum

offeren-

offerendum nullo respectu humano, nec à mundi vanitate, sed solo amore Dei fuerit impulsus. Quanquam & hoc mihi acceptũ quoque facit donatorem, quòd propter donum tale in me collatum, non remaneat pauper, aut imperfectus, quia quò quis plus donat Deo, hoc ditior perfectiorque redditur.

FILI, religio est mihi cara & dilecta Vinea. regulæ, & constitutiones eius sunt vitium propagines, & quasi arbores, non sine labore à me in ea plantatæ. Operarij sunt, quos ego euoco ex mundo, & variis instrumentis & talentis in vineæ commodum instruo. Custos eius est obedientia, quæ quid cuique operario agendum sit, præscribit. Omnes ingrediuntur quidem vineam, sed non omnes vtiles sunt vineæ. Religiosi, qui colendis arboribus & vitibus dant operam, hoc est, obsequuntur legibus & ordinationibus, mihi sunt gratissimi, eisque singularem mercedem destinaui, quia illi ex parte sua religionem tuentur & conseruant. Verùm inobedientes, qui vineam meam deuastant, quomodo æquis oculis possum intueri? Quid enim aliud est præuaricari regulã, quàm vitem aliquam resecare, aut aliò trãsferre? Et hoc quid est, nisi religionem dis-

ſoluere? Quare, quantum mihi diſplicet inobedientia, quæ religionē labefactat, tantum mihi placet obedientia, quæ eam ornat, cuſtodit & adauget.

De excellentia & dignitate obedientiæ religioſæ.

CAPVT XXII.

FILI, perpendiſtinè aliquando illud S. Scripturæ meæ dictum, *Homo obediens loquetur victorias*? Scias, nullam vel maiorē, vel admirabiliorem in hoc mundo obtineri poſſe victoriam, victoria ſui. Hoſtes vinci poſſunt fraudibus & ſtratagematis, & vt vincantur vi & robore armorū, vincuntur tamē qui ſunt inferiores, aut certè in ipſo certamine inferiores facti ſunt At in victoria ſui, non arte vel fraudibus vincitur, ſed virtute; & vincitur æqualis, quique ſemper manet æqualis. In aliis victoriis, quo victor ſublimiùs euehitur, hoc victus magis deprimitur & humiliatur. Sed in victoria ſui, victus pariter cum victore extollitur. In aliis certaminibus vincuntur inimici, & interueniente quidem odio, ira, indignatione. at qui vincit ſeipſum, vincit quendam, cui ſumma amicitia & amore eſt deuinctus. Et hæc difficultas *Prou. 21.*

ficultas facit victoriam glorioſiorem. Eiuſmodi eſt obedientis victoria, quia dū ſponte ſe ſubiicit alieno imperio, vincit ſeipſum. Quæ victoria tāto illuſtrior eſt, quanto difficiliori certamine, nempè contra naturam obtinetur. In hac victoria multæ aliæ apparent victoriæ, Religioſus ſiquidem obediens facit, vt ſenſus, appetitus, & paſſiones rationi obſequantur: deindè vt ratio ipſa cum iudicio proprio ſubiiciatur arbitrio, iudicioque Superioris. Atque hæc etiam non exigua eſt victoria, ſceptrum triumphi cedere alteri. Qui in prælio terga vertit, excidit victoria in obedientia ille terga vertit, qui ſe alteri ſubmittere tergiuerſatur.

ADHÆC obedientia tam fortis eſt bellatrix, vt etiam pro aliis virtutibus decertet, contra eos omnes qui aduerſantur ſtatui, perfectionique religioſæ. Si concupiſcentia bellum moueat caſtitati, prodit obedientia, efficitq; vt voluntas nō conſentiat, ſed obſequatur voto de caſta vita agēda ſemel emiſſo, Si cupiditas rerum temporalium inſultet inpaupertati religioſæ, obedientia contra inſurgit, perſuadetque, vt promiſſa de nulla proprietate vſurpanda præſtet Quando dæmon aliquos incitat ad tranſgreſſionē legū religionis, Obedientia ſeu fida religionis cuſtos

custos strenuè refragatur. Quoties perturbationes animi rationem oppugnant, obedientia compescit earum vim, facitque vt singulæ animi facultates pareant, cui debent. Ex his omnibus maximis victoriis facilè coniici potest, quanta sit efficacitas & gloria obedientiæ, & quòd religiosus quàm diu secum habuerit tam generosam propugnatricem prosperè sit depugnaturus, multasque narraturus victorias. Belli dux si velit habere bonos milites, & ex hoste referre victoriam, rationem habeat eorum inprimis qui fortiter manum cum hoste conserant.

QVANDO dæmon per inobedientię crimen Adamum impulit in lapsum magni facere cæpit inobedientiam, & vexillo, quod in victoriæ signum erexit, inscribere hæc elogia. *INOBEDIENTIA filia superbiæ, Mater mortis, Ruina mundi, & Pestis religionis.* Et his multo tempore triumphauit. Verùm & ego erexi vexillum crucis, in qua per obedientiam moriens, expugnaui mortem, & damna inobedientia Adami humano generi illata restitui. Itaque elogia vexilli mei sunt hæc. *OBEDIENTIA humilitatis filia, Vitæ spiritualis mater, Mundi reparatrix, & Religionis conseruatrix.* Ex his elogiis, quę verissi-

verissima sunt, potes cognoscere obedientiæ præstantiam. Nam cum sit humilitatis filia, cuius proprium est humiles exaltare, non potest non eiusdem proprietatis esse consors. vt liquet in me, cui felicissimam de omnibus inimicis meis victoriã, cum glorioſissimo triumpho coniunctam conciliauit. Fili, in religione nemo persistere potest, nisi pugnet. Qui non pugnat sub obedientiæ vexillo, necessariò pugnare debet sub inobedientia, vexillo Satanæ.

Dvbivm non est, voluntatis excellentiam, quæ mihi à religioso per obedientię votum offertur & sacrificatur, magnam vim adiungere sacrificio, cum voluntas non modo sit nobilissima hominis pars, verùm etiam omnium facultatum animi regina. Huius autem sacrificij dignitas & valor hoc amplius augescit, quanto pluris à me æstimatur. Quomodo autem non possim non maximi æstimare obedientiam religiosam, in qua religiosus mihi offert libertatem suam tanti in mundo toto æstimatam? Non est donum hoc eiusmodi, vt in precio haberi non debeat. Si enim magni facio Paupertatem & Castitatem, pluris certè facere teneor obedientiam. Paupertas siquidem mihi offert bona tantum externa & tempora-

talia. Castitas amore mei duntaxat corpus destituit voluptatibus corporeis, quæ eius bona sunt. At obedientia interna animi bona mihi offert, quæ quantum præstant corporis fortunæq; bonis, tanto oblatio eorũ excellentior est, mihiq́ue gratior.

NEGARI non potest fuisse præstantissimam obedientiam Abrahæ, quando ad primam vocem meam statuit vnicum, amantissimumq; suum filium Isaac mihi immolare Nec minor fuit obedientia Isaac, qui vt obediret mihi in sui patris persona, passus est se vinciri, & magno animi robore in adolescentiæ flore caput à ceruice resecandum obtulit Cæterùm ego non minoris facio obedientiam boni religiosi, quæ obedientiæ amborum perfectionem in se comprehendit. Abrahæ quidem, quia religiosus non inferiore amore prosequitur se ipsum, quàm Abraham suum filium. Filij verò, quia religiosus non minori fortitudine animi seipsum voto obedientiæ ligat, quàm Isaac passus est se ligari à parente. Nec minori promptitudine suum velle nolleque offert resecandũ gladio voti spirituali, quã Isaac collũ gladio materiali. Ex discrimine deindè quod intercedit inter Abrahæ & religiosi obedientiam apparet hanc illi anteferen-

ferendam. In illa enim Abrahæ fuit mandatum, in hoc consiliũ, illa tantùm fuit in voluntate, hæc in voluntate & facto, actus illius durauit ad breue tẽpus, huius toto vitæ tempore. Fili, vis superare obedientiam Abrahæ? da operam vt in omnibus promptè obedias, quia Deo non minus placet obediẽtia in paruis rebus, quàm in magnis.

PRÆTEREA certum est opus nullum, etiamsi iudicio huius seculi reputetur honorificum, tamen nullius apud me esse precij, si non sit conforme diuinæ voluntati. Erget aliquis omnia bona sua in paupe-res, patiatur persecutiones & opprobria, occumbat pro fide. si hæc & similia opera non fiant secundùm meum beneplacitum mihi grata non sunt, nec meritoria. Obedientiæ autem virtus, sicut & charitatis sororis eius facit, vt religiosus opera sua voluntati diuinæ conformet, ac consequenter reddit & meritoria. Adde tunc creaturam ratione præditam dici perfectam, quando voluntati diuinæ acquiescit, nec aliud vult, quàm suus creator velit. Qua autem alia virtute religiosus efficitur promptus ad parendum voluntati diuinæ, quàm obedientia? Quis impellit religiosum, vt nec minus, nec amplius velit, quàm creator suus, in quo con-

consistit vera perfectio, nisi obedientia? O, si religiosi omnes tanto amoris affectu cõplecterentur obedientiam, quantum eius meretur nobilitas, in maiori precio existimationeque foret, in religionibus quàm nunc est, & perfectorum religiosorum magna affluueret copia.

De vtilitate, quam obedientia affert religioso.

CAPVT XXIII.

DOMINE, quamuis multas, & eximias vtilitates religiosus hauriat ex obedientia, tamen mihi videtur multò consultiùs fore, si tu ipse citra hominum Superiorum operam omnia imperares & ordinares: prõptissimè enim tibi obsecundaremus, nullus esset locus obmurmurationibus, nec tu vllam occasionẽ conquerẽdi præberes. breuiter, gubernatio tua esset suauissima. Quod si hoc non videatur fuisse conuenies, operæ precium saltem facturus esses, si nos regeres per angelum, quem, vti maiori esset fide & auctoritate apud nos, ita maiori eum reuerentia, quàm homines, coleremus. FILI, totus ille sermo tuus ex proprij amoris fonte profluxit. Si religiosi essent spiritus, con-

gruens

gruens esset eos gubernari vel à me, vel ab aliquo angelico spiritu, sed quoniam compacti sunt ex corpore & spiritu, conuenit vt gubernentur ab homine sui simili, ac idem postulat suauis prouidentia qua tota huius mundi vniuersitas gubernatur. Quando ego mundum ad veram fidem traduxi, non misi angelos, sed homines, & per homines illum guberno. Religiones quoque à me fundatæ sunt, non per angelos, sed per homines, & idcircò conueniens est eas per eosdem gubernari. Si hic angelus esset superior, quoties audirentur hi vel similes sermones? Si hic angelus, Superior noster, expertus esset, sicut nos, carnis molestias, corporis onera, & huius vitæ ærumnas, maiori commiseratione nostri, quam facit, tangeretur. Quot excusationes locum non haberent apud angelum, quæ nunc locum habent apud hominem Superiorem? Quot scrupulis agitarentur religiosi, si regerentur à superiore inuisibili? Deindè, quisque superior, potiùs exemplo vitæ, quàm voce auxilio esse debet subditis, at si foret inuisibilis Superior huiusmodi exemplum ad imitandum præbere non posset. quare præstat Superiorem potiùs esse moribus angelicũ, quàm natura angelum.

Quod

QVOD autem dictum est Superiorem, si foret angelus, maiori amore & reuerentia à subditis exceptũ iri, quàm si sit mortalis homo, verum non est. Cum enim ego sim in superiore; qui me non amat, neque obedit mihi in homine vices meas agente, minus me amaret & obediret in angelo. Reuoca in mentẽ, quid scripserit dilectꝰ meus discipul' 1. Ioã. 4. Ioannes, Si non diligis, inquit, proximũ, quẽ vides, quomodo Deũ potes diligere quẽ non vides? Sic ego dico. Si non obedis Superiori quem vides, quomodo obedies Superiori, quem non vides?

ADHÆC, quantula humilitas esset, subiectũ esse angelo? At dũ religiosi amore mei se subiiciunt homini tanqnã Vicario meo, eiq; tanquã mihi obtemperant, est actus nõ solùm magnæ humilitatis, sed etiã magnanimitatis, fortitudinis, fidei, spei & caritatis tanto gratior, quãto pluribus virtutibus est stipatus. Qui non submittit se homini propter me, minus se submittit angelo Mea voluntas est, quæ religioso est exequenda; parum autem interest, siue illa per hominem, siue per angelum declaretur. Non tam ratio habenda est eius qui loquitur aut imperat, quã eius cuius nomine loquitur & imperat. Vt aqua in hortum defluat necessarium est;

parui

parui verò refert, siue per canales plumbeos siue per argenteos diducatur.

AVES nunc fili audire Obedientiæ vtilitates? Dic mihi si quis per prærupta montium saxa iter faciens equo indomito insideret, & præsto esset, qui operam suam in equo manu deducendo inter tot pericula offerret, nonnè, ille magno se beneficio affectum putaret? proculdubio maximo. Si verò nollet tanto vti beneficio, nonnè amentissimus foret? Corpus nostrum, ob passiones inordinatas, quæ in eo regnant indomitum, est ille equus effrenatus. Errores, qui in vita spirituali solent committi sunt saxorum præcipitia. Superior est, qui paratus est equum nostrum deducere, ne labatur. Cogita ergò quanta dementia foret religiosi, qui nollet à suo Superiore in tantis periculis gubernari? Natandi imperitis salutare est inniti aliorum brachiis. Religiosus, qui obedit, & sinit se ab alio regi, natat in brachiis superioris, & natat securus in periculorum spiritualium fluctibus.

ALTERA vtilitas est, quod obedientia religiosum eximat ab innumeris molestiis. Nihil æquè hominem excruciat, atque anxiæ animi cogitationes, à quibus miser

in seculo degens, haud secus, quàm vipera à fœtu suo, quem in vtero gestat, mirè dilaceratur. Et quamuis non incumbat illi cura domus, aut fortunarum, tamen sola de negotiis & actionibus suis cogitatio nimisquã onerosa est. Nam non solùm perpendere debet, quæ agenda sint, sed quando, quo modo, & quibus mediis. fastidium, deindè & crucem auget sollicitudo nimia de felici rerum agendarum exitu & successu. Verùm hæc nihili sunt, si conferantur cum actionum spiritalium cogitationibus; hæ enim, vt mihi gratæ sint, conformari debent meæ voluntati, ac si cum caritate & discretione non fiant, à me minimè probantur. Obedientia autem liberat religiosum, ab his, aliisque omnibus curis & cogitationibus, hoc vnum commendans, vt pareat, cætera in Superioris humeros coniiciat. Cuius muneri incumbit, quid, quando, quomodo, quibus mediis quæq; res agenda sit. Illius est omnia necessaria, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus rebus procurare. Ille enim est pater, ille mater, ille prouisor, dux & magister. Quid aliud igitur est, viuere in obedientia, quàm onus suum in aliorum humeros reiicere? Ingressus sis syluam inuiam, & ab immanitate ferarum non satis tutam,

idque

idque magno onere grauatus, an non tibi gratissimus foret, qui non solùm securè è sylua te educeret, sed etiam in sarcina deportanda iuuaret? Quid verò aliud est obedire, quàm cum duce securiùs iter emetiri, & sine onere? Qui non agnoscit beneficiu, nec æstimat, nihilque pensi habet, vndè veniat, aut quis eius auctor sit.

Est & alia obedientiæ vtilitas, quod quæ bona sunt, reddat præstantiora: & quę exigui sunt precij, faciat in maiori haberi existimatione. Qui diuina gratia impulsus libera voluntate bonum opus exercet, benè facit, & pro magnitudine operis, & pia affectione mercedem promeretur. Sed qui ex obedientia eadem dispositione qua prior eadem opera exercet, multò meretur amplius, ob vim & efficaciam quam illi operi adiungit virtus Obedientiæ. Immò Obedientia tàm fructuosa, est & potens, vt etiam præstantiora reddat opera necessariò præstanda, & quæ ex se nullam laudem merentur, vt sunt actiones comedendi, bibendi, dormiendi, ambulandi, quæ si ex obediẽtia à religiosis fiant, sunt mihi gratæ, easque remunero pro magnitudine pij affectus & caritatis ex qua fiunt. Accedit, aliquando contingere, obedientem, nullo opere consecuto,

secuto, plus spiritualis quęstus facere, quàm qui opus exequitur. Religiosus, qui desiderio teneturieiunandi ad carnem suam affligendam pro peccatis, & tamen propter obedientiam abstinet à ieiunio, plus apud Deum meretur abstinendo, quàm alius ex pietate ieiunando. Hic enim tantum habet ieiunij meritum; ille verò non solùm ieiunij, quia ex parte sua paratus fuit ad ieiunium, sed etiam obedientiæ meritum reportauit. Iudica tuo modo, sitnè priuilegium, quo obedientiæ beneficio ornaui religiosos, vtile & salutare? Quo verò animo putas me ferri in eos, qui tam parum affecti sunt ad obedientiam? O quantam iacturam facit bonorum spiritalium, qui suo arbitratu agit, quod per obedientiam agere poterat. Omne opus bonum, siue paruum sit, siue magnum, si obedientiæ sigillo sit obsignatum summi precij est æquè in cęlo ac in terra.

Quam conueniens sit Religiosum esse obedientiæ studiosum.

CAPVT XXIV.

FILI, si constituas apud animum tuum me imitari, necessarium est, vt decernas

toto

toto pectore obedientiæ virtutem amplecti, idoneumq; te reddas ad integram obedientiam præstandam. Recordare me formā serui assumpsisse, vt submitterem me, obediremq; hominibus propter salutem tuam. Nec solùm proposui, publiceq; sum protestatus me venisse non ad perficiendā meam, sed patris, à quo missus eram voluntatem, sed etiam tempestiuè cæpi patere legi eius, ad quam tamen non tenebar, mandatis, atque ad eorum obseruationem, nec pudore, nec dolore, nec mortis periculo fui absterritus. Imò, sicut Euangelista meus Ioannes scripsit, obedientiam appellaui meum cibū. nec iniuria. nihil enim erat in hac vita quod æquè me oblectaret, ac mei Patris cælestis voluntas; sic prorsus vt quicquid amarum & acerbum incideret, dulcesceret. Qua de causa passionis calix qui humanitati erat amarissimus, promptissimè à spiritu, velut suauissimus, est acceptatus, quia manu obedientiæ per Patrem porrigebatur. Quis ergò religiosus iure poterit repudiare obedientiā, quæ mihi fuit cibus? Malum signum est, quando Domini cibus displicet seruo. *Ioan. 4.*

At quid demùm esse potest fili, quod tibi non arridet in Obedientia? An fortè quod animaduertas te subiectū homini? aut quod erube-

erubescis alieno parere imperio? Ego sum vniuersitatis huius Dominus, sum Patris cę-lestis sapientia, & tamen hominibus subiectus fui, nec obiter tantùm, aut paucis vicibus, sed indè à prima ætate vsque ad ignominiosam crucis mortem. Neque duntaxat obediui hominibus iustis & probis, vt meæ matri, & Iosephò meo nutritio, sed etiam iudicibus iniquis, vt Annæ, Caiphæ, Herodi & Pilato, qui cum scirent me iniustè accusatum, nec posse aliquid eorum, quæ improbè obiicerentur probari, tamen me condemnarunt ad spinas, flagella & crucem ipsam, totumque nulla appellatione facta, nulla apologia adhibita, imò nullo verbo edito patienter toleraui. Obtemperaui quoq; peruersis eorum ministris, qui sine causa mihi infregerunt colaphos, vultum conspuerunt, & per vias publicas hinc indè cum summa ignominia traxerunt. De quibus omnibus nihil sum conquestus, imò cum possem omnia vindicare, & ob summã iniuriam mihi illatam iustissimè illos castigare, tamen me continui, & promptè omnia quæ mihi mandarunt, sum executus. Age dic mihi, an tibi adhuc durum sit & asperum obedire? Tu non es ob obedientiam alligatus columnæ, & flagellatus, sicut ego.

ego. Tu non es manibus in terga reuinctis, funeque in collum iniecto per publicas vrbis plateas tractus, sicut ego. Potestnè fieri, vt pudeat te obtemperare in rebus bonis, quæ in tuam laudem meritumque redundant; postquam ego Dominus tuus obtemperaui in rebus malis, in meũ dedecus, torramentum & ignominiam cedentibus? Ratiocinare nunc tecum, vtrum conueniat potiùs promptè obsequi Superiorum mandatis, an verò reniti, si quid imperetur parũ tuo palato gratum. quod etiamsi factu sit facilè, inimicus tamen efficiet, vt appareat arduum & difficile, vt vel prorsus non pareas, vel meritum saltem obedientiæ perdas. Exemplo esse possunt Adam & Eua parentes primi: quibus cum à Domino mandatũ datum esset, vt abstinerent à fructibus vnius arboris in paradiso existentis, quod non erat graue & difficile, cum suppeterent ibidẽ aliæ arbores multæ fructibus onustæ. At callidus humani generis hostis in animis eorum effecit, vt videretur æquo durius mãdatum, & faciliùs eos perduceret ad præuaricationem. Non debet difficile videri seruo eam viam inire, quam Dominus eius cum multo maiori ante ipsum discrimine est ingressus, & quamuis iter periculosum foret,

modo impossibile non sit, conuenit vt perficiat.

FILI, quamdiu auicula libera & soluta vagatur in cāpis facit quod libuerit: at quādo capta est, & in caueā incluſa, facit quod voluerit Dominus. Cum degeres in seculo, viuebas arbitratu tuo, comedebas quando libebat, faciebas quicquid placebat, quia eras tibi ipsi Superior; quod tunc congruens erat; quandoquidem in mundo professionem omnes faciunt, vt quisque suo nutu & modo gubernetur. At quando seculo renunciasti, delegisti tibi alium Superiorem, qui locum meum obtineret, ac professionē feciſti non ex arbitratu & iudicio tuo, sed alieno vitam instituendi. Qui ergò in religione existens pergit viuere modo suo, quēadmodū faciebat in seculo, declarat se nondū è seculo ad religionem demigrasse, aut foris quidem demonstrat se religiosum, sed intus & in cute est secularis, vel potiùs neuter est, nec religiosus, nec secularis. Vbi non est obedientia, ibi non potest religio nomē suum tueri: quia nec subditi diu conseruari possunt, cum non sint cum capite coniuncti. Præcipuum ciuitatis propugnaculum est concordia & vnio ciuium. Sic vnio subditorum cum superiore capite suo, quam

efficit

efficit obedientia, est salus religionis. Vbi obedientia est, est consensio, consensio autē conseruat & corroborat quamuis congregationem multorum. Apostoli mei numero fuêre pauci, & in conspectu mundi abiecti, tamen magna fecerunt, quia fuerunt concordes, & mihi suo Superiori tam obsequentes, vt ne perderent obedientiam, maluerint perdere vitam; si modo obediens mori potest. Quare qui negligit obedire etiam in rebus paruis, non cognoscit obedientiæ valorem, sicut cognouerunt Apostoli & Apostolorum magister, qui potiùs parati fuerunt perdere vitam, quàm deserere obedientiam.

In militia seculari tanti fit obedientia militum erga belli duces, vt nonnunquam ob leuissimam inobedientiam morte multentur. cum tamen qui nomē dant militiæ nullum votū obedientiæ faciant, sed tantū iurati spondeant se hosti bellū illaturos, & vrbem vel propugnaculum defensuros. Si ergò militia temporalis tam exactam postulat obedientiam, nec vllam etiam in rebus exigui momenti inobedientiam impunè permittit, quantam meritò requirat militia spiritualis & religiosa, in quam nullus admittitur nisi religione voti se astrin-

gat ad Obedientiam ? Quomodo verò poteſt tolerari in hac vlla inobedientia, cum huius militiæ ita proprium ſit obedire ſuperioribus, vt ſublata obedientia, militia ſpiritualis tota concidat.

SVNT nonnulli, qui Superiorem quidē aliquem non detrectent, ſed nollent ſibi aliquid ab eo, maximè ſi moleſtum & graue ſit, imperari. Hoc deſiderium non eſt boni & veri religioſi ad perfectionem tendentis: immò hoc eſt velle videri nomine religioſum, non facto, ac optare vt Superior ſit ſtatua, non homo. Alij volunt Superiorem eſſe ſedulum in procurandis neceſſariis ad victum, veſtitum, aliaque commoda pertinentibus, ac vt in omnibus euentibus eorū tutelam & patrocinium ſuſcipiat. Verùm non optant eum æquè vigilantem in obſeruatione diſciplinæ religioſæ, quæ tota pendet ab obedientia. Quod deſiderium multò deterius eſt primo. Hoc enim optare, non eſt aliud, quàm velle, vt Superior ſubditos ſuos faciat non bonos religioſos, ſed otioſos & ignauos, qui corpora quidem rectè curet, ſed animam in via ſpiritali non dirigat: qui ſit bonus ſocius, & bonus ſuperior. Subditus, qui vult Superiorem ſuum non præſtare boni Superioris officium, apertè decla-

declarat se nec boni subditi officium præstare.

De primo obedientiæ gradu, qui consistit in executione.

CAPVT XXV.

FILI, non arbitreris te multum præstitisse, si quando executus fueris superioris mandatum: hic enim infimus obedientiæ gradus est, & omni subditorũ generi communis, siue sint mancipia, siue serui. Immò deprehenditur quoque in animalibus brutis, quæ vadunt, quocunque dux ea perduxerit, & faciunt, quicquid libuerit ei qui eorum curam gerit. Miser religiosus est, qui dum non paret superioris voluntati, minus facit, quàm animalia bruta. Quamuis autem hic primus Obedientiæ gradus, qui cõsistit in executione eius quod mandatur ex se sit infimus, tamen si, quemadmodũ conuenit, seruetur, mihi est pergratus. Obediẽtiam meam, quam Patri cęlesti pręstiti quatuor conditiones gratiorem reddiderunt. Promptitudo, integritas, fortitudo & perseuerantia. Eædem acceptam reddunt obedientiã religiosi, & hoc faciliores sunt, quò ex voluntate ad me imitandum cupidiore proueniunt.

Obedientiam non præstare celeriter & cum promptitudine, defectus est, qui mihi non parum displicet. Qui si nascitur ex voluntate frigida & languida, hoc displicet magis, quia effectus est malus, & causa peior. Cui tempus est prętstandę obedientiæ, & præstare differt, temporis iacturam facit, & se in periculum coniicit, ne mandatum exequatur. Si verò religiosus differt obedire, cò quod in sua aliqua re particulari sit occupatus, plus mihi displicet, quoniam se, negotiaque sua anteponit negotiis Superioris. Verus obediens, vt perfectè obediat, negotia sua inchoata & imperfecta relinquit. O quantoperè mihi placent religiosi, qui etiam signo dato ad agendum aliquid quod regula vel Superior præscripserit, etiam piis operibus desertis, continuò aduolant. Imò singularem apud me sibi gratiam conciliant, si vt obedientiam præstent, colloquium etiam mecum in oratione inchoatum interrumpant. Expende tu modo, quam exiguam apud me gratiam ineant, qui amore proprio excæcati, ne suis vel commodis, vel recreationibus destituantur lenti sunt & tardi in opere perficiendo, quod à Superiore iniungitur. Plus verò offendor, si cunctatione eadem

vtan-

vtantur, dum ad orationem, aliaue exercitia spiritalia campanâ signũ datur. O quantum sibi nocent & communitati huiusmodi, maximè quando notatum est eosdem, dum ad res corpori commodas, vt cibum, potum, recreationes vocantur, nihil cunctari, esse impigros & promptos. Eos sanè præstaret, nunquam prodire in publicum, nam vbi iusta causa non occurrit eos purgandi, ibi manifestum datur scandalum. Qui ob crimina sua triremibus sunt addicti, tam prompti & expediti sunt ad obsequendum, vt vix signo dato res iam perfecta sit. Imò sic ad exequendum sunt celeres, vt dum rem agunt, vociferentur eam peractam. Et quanquam flagrorum metu tam diligentes sint & impigri, amor tamen diuinus promptiores in hoc genere reddere deberet religiosos, quippe cum amor fortior & efficacior sit metu. Neq; id solùm apparet in triremibus, in quibus cernere est catenas, & nautas scuticis armatos, sed etiam in magnorum Dominorum aulis. Quęro enim, quid reddit famulos ad Dominorum vocem tam alacres & expeditos? An spes mercedis? at ea copiosior est apud me. an amor quo dominum suum complectuntur? at longè ardentior amor mihi debetur.

nam

nam bonitas, quæ amoris causa est, longè est in me excellentior, & præmium quod à me expectatur, est sine comparatione maiùs. Tarditas certè religiosorum omnis oritur ex defectu amoris Si subditi impensius affecti essent ad superiorem, diligentiores quoque forent in obedientia exequenda. Quo in genere, filij huius ~~lucis~~ prudentiores, promptioresque sunt filiis lucis.

ALTERA conditio est, vt obedientia sit integra eiusmodi enim mea fuit obedientia. Religiosis certè satis esse deberet ad integritatem hanc amandam, si perspectum habeant, hanc meam esse voluntatem, & talem esse Superioris intentionem, vt integrè imperata præstentur. Sunt qui tantum parati sint obsequi in rebus magni momẽti, non item in paruis. Aliis verò videtur satis, si partem earum rerum, quæ à Superiore præscribuntur, perficiant, prætermissis reliquis. Ego sanè ignoro, quis eos iudices vel interpretes obedientiæ fecerit. Nec sat scio, vndè illi didicerint, non esse necessarium omnibus Superiorum decretis, vel mandatis parere. Dicant quæso, quando votum edidêre obedientiæ, cogitarintnè obediendum esse in omnibus, an in aliquibus tantùm? an intellexerint semper obediendum, an tantũ

breui

breui tempore? Et vt intellexerint non in omnibus, & certo tempore tantum obsequẽdum, quis tale votum acceptauit? Ego non dimidiatæ, sed integræ obedientiæ votũ acceptaui. Si famulus aliquis partem tantum eorum quæ à Domino imperata sibi forent, exequeretur, cum posset totum, non diu retineretur in domo, & vt retineretur, in ratione reddenda facilè appareret, vter alteri aliquid deberet, famulusnè Domino, an cõtra? Non mercede, sed pœna dignus est, qui non seruit ad voluntatem Domini. Multi in religione degunt, cum quibus ratio inibitur tandem in fine, & tunc intelligetur, mereanturnè præmium an pœnam, qui integram obedientiam non præstiterunt.

TERTIA conditio est, vt obedientia fiat cum fortitudine. Non mihi placet religiosus, qui demonstrat fortitudinem animi in obediendo, dum imperantur facilia, aut libenter obedit, dum prosperè res eunt, & Superior iubet ea, quæ arrident palato. Non est hæc vera fortitudo, nec fortis obediens hac via rectè probatur. Vento prospero flante, qualibet naui nauigatur, & via plana quilibet etiam infirmus iter facit. Fortitudo obedientis cognoscitur in rebus arduis & difficilibus, vt quando perferenda incom-

incommoda, & dolores, vt cum afflictiones occurrentes non retardant ab obedientia præstanda, cum in vincendis difficultatibus animus erigitur. O quam insipienter agis fili, dum, ne crebriùs aliquid tibi imperetur, difficilem te demonstras in exequenda obedientia, ea opinione deceptus, grauari solere pluribus officiis & laboribus, qui semper se promptũ & facilem in obsequendo declarat. Quid enim hoc aliud est, quàm accusare Superiorem indiscretionis & imprudentiæ? quam repellere à se locupletissimam coronam? Si tibi impertio sanitatem & vires ad tolerandos labores, cur eos tantoperè reformidas? An ignoras tu, quo plus augetur labor, magis augeri meritum? cur ergò finis te vinci ab ignauia? Non est hæc fortitudo, sed malitiosa incuria. Non sic ego feci, qui cum possem te ad salutem perducere per media facilia, tamen ob maius commodum tuum elegi difficillima, vti fuit mors in flore iuuentutis; nec elegi quamlibet mortem, sed ignominiosam & acerbam, quam scilicet tot, tamque dira tormenta non solùm contumeliosa, sed etiam atrocia antecesserunt.

QVARTA conditio est Perseuerantia, quæ si desit, nulla obtinetur corona, nullum

lum est obedientiæ meritum. Ego viam Obedientiæ decurri vsque ad mortem, omnibus difficultatibus & impedimentis contemptis & remotis, quæ in via occurrerunt. Apostoli mei quoque in obseruatione præceptorum meorum in finem vsque vitæ perstiterunt. Itaque qui ob inconstantiam, vel commodum aliquod suum, aut alium respectum humanum negligit obedientiã præstare, meus discipulus non est. Incipere, & postea citra iustam causam non exequi obedientiam, puerorum est, non religiosorum.

De secundo gradu obedientiæ, qui pertinet ad voluntatem.

CAPVT XXVI.

FILI, voluntas tua est potentia cæca. tu quoq; sæpè passionibus tuis excæcaris, quare non potes esse dux illius, ne ambo in foueã cadatis. Necesse est igitur, vt mihi innitatur, eiq; qui locum meum in gubernãdo sustinet. Atq; hoc exigit secundus Obedientiæ gradus: nẽpè, vt non modo tuã volũtatẽ subiicias Superioris volũtati, eiq; tuã conformes, sed vt illius voluntatẽ facias tuã; quod consequêre, si Superioris voluntatem

animæ

animæ tuæ inseras. Rami duo qui ex hoc surculo prodeunt, nimirum velle, & nolle Superiorum, sedulò sunt conseruandi, & si fortè aliud germen erumperet, subitò resecandum esset, ne vigorem adimat surculo.

OBEDIENTIA, quæ ad hunc gradum secundum pertinet, tres proprietates requirit, quæ illam gratam mihi reddunt & acceptam. Vna est, vt sit voluntaria. altera, vt hilaris, tertia, vt feruens. Hæ tres proprietates hostem communem habent, à quo non parum exagitantur, qui dicitur repugnantia. Religiosus, qui non expugnat hanc repugnantiam, facilè vincitur, quia nequit obedire hilariter & feruenter. Et si repugnantia à parte superiore proficiscatur, tollitur quoque voluntarium.

VERVM dic mihi fili, vndè nascitur tua repugnantia, quæ in præstanda obedientia te tam morosum & difficilem reddit. An fortè indè, quod existimas te subiiciendo Superiori iacturam facere libertatis & honoris tui? Si idcircò doles, & dolor repugnantiam creat; non dolendi, sed gaudendi potiùs causam habes: quandoquidem (vt aliâs tibi dixi) qui amore mei se submittit Superiori, submittit se mihi, Domino omni-

omnium; quæ in re non parum ſuam exiſtimationem & honorem adauget, cum rem faciat homine generoſo & magnanimo dignam. Ac dum amorem proprium quaſi pedibus conculcat (quod nec omnium eſt, nec multorũ) prorſus declarat, quanti me, meique amorem faciat. Si ego Dominus maieſtatis amore tui me ſubiecì hominibus, eisque toto pectore obtemperaui, cur tu contriſtabere, dum ſubiicis te vicario meo? Conſidera fili, quòd hoc ſit eſſe ſubditum. conſidera te ad religionem non veniſſe ad imperandum, ſed ad obediendũm. Si tu agnoſceres in voce Superioris vocem meam; & ſi perpenderes obedire Superiori, eſſe obedire mihi, exultares tibi aliquid ab illo imperari, & feruenter ac perlibenter illi obtemperares.

COGITARE deindè, quod in obediendo iacturam facias libertatis, luculentus error eſt, cum non ſolùm nõ amittatur libertas, ſed etiam perficiatur; ſiquidem beneficio obedientiæ conformatur & coniungitur voluntati diuinæ, quæ eſt regula infallibilis benè operandi: atque ideò quamdiu libertas humana ei coniuncta erit, benè operabitur. Nec dubium eſt, eam libertatem, quæ ſemper nititur bono, eſſe perfe-

ctiorem ea, quę nonnunquā adhæret malo. Non perditur quod datur Deo, sed redditur securiùs, ne perdatur.

OBEDIENTIA ergò huius secundi gradus, vt mihi grata sit, debet esse voluntaria, & non coacta. Sunt nonnulli, qui timent à Superiore occupari, & ideò varia effugia & diuerticula quærunt, nunc occultando se, nunc excusando, nunc fingendo se aliis distentos negotiis. Et si quando aliquo iussu Superioris amandentur, vadunt velut coacti. Alij obedire malūt vni potiùs quàm alteri, atq; si ego non essem in omnibus Superioribus. Sed illi liquidò demonstrāt, quod non obediant amore mei. Qui in obedientia Superioribus delata, respicit me, nullum discrimen inter Superiores facit, sed æqualiter obsequitur omnibus. O quantum hallucinantur quoq; ij, qui nulla religione ducuntur, si voluntati Superiorum resistant in rebus spiritualibus, vt ieiuniis, precibus mortificationibus, & id genus aliis; nec enim inobedientia nomine suo destituitur in rebus piis & spiritualibus.

ALII sunt, qui promptè obsecundant in negotiis inclinationi suæ & naturæ consentaneis; in cæteris, quæ non arridēt magnum sentiunt fastidium & repugnantiam.

Nemo

Nemo est, qui non agnoscat hanc imperfectam & miseram esse obedientiã, quia constat eam ex radice amoris proprij natam. Miseriam auget, quod cum tales illibenter & inniti obediant, non solùm meriti iacturam faciant, sed ob fastidium & nauseam difficiliorem obediendi actionem reddant. Deterrimum verò illud, quod obedientia, quæ debebat illis esse suauissimus cibus, ipsorum culpa vertatur in venenum amarũ. Quisquis enim grauatè obedit, ordinariè murmurat, indignatur & offendiculum aliis præbet, & loco præmij, quod mereri poterat, si æquo animo obedisset, vltro in caput suum arcessit pœnas.

Fili, optas liberari ab his ærumnis? excita in te efficax desideriũ promptè & syncerè deinceps obtemperandi, ac donũ hoc postula ab eo qui dare potest. Deindè strenuè exerce te in omni obediẽtiæ genere, magnæ & paruæ. Et cogita eum magnam lucri spiritalis iacturã facere, qui ægrè obedit. Qui vicinus est morti, & non libenter moritur, anctiorem mortem reddit. Sic qui obedientiam præstat, sed repugnante volũtate, plus se excruciat. Melius ergò est ex necessitate facere virtutem. Qui potest humeris ferre crucem, non trahat eam per terram.

NONNVLLI viam quidem obedientiæ ingredi volunt, sed ea conditione, vt Superiorem præcedant, non sequantur. Atque ij sunt, qui cum animo propositum habent aliquod exercitium vel negotium, variis mediis Superiorem conantur in suam sententiam impellere, eaq; in re tam anxij sunt & solliciti, vt si voto eorum non fiat satis conturbentur. Neque hic sistit eorum imperfectio, sed prę terea exercitio illi operam dare volunt, modo suo, non modo, quem Superior suggerit. Atque ita voluntas eorum antecedit voluntatem Superioris. Non ambulat securus, qui lumen fert à tergo. Superior est, qui lucem defert, quam tibi præbere debet, non tu illi; quare opus est, vt tu eum insequaris, non autem præcedas. Qui Superiorem traducit ad modum agendi suum, non quærit obedire illi, sed illum obedire sibi. Et qui conatur impellere Superiorem, vt velit quod ipse vult, inserit suam voluntatem voluntati Superioris: quocirca fructus illius non erunt fructus obedientię, sed proprię voluntatis subditi, quos ille deguſtat, & non ego.

ALTERA proprietas huius secundi gradus est, vt Obedientia sit hilaris, quæ oritur ex priore. Qui enim obedit libenter, obedit & hila-

& hilariter. Et qui inuitus obedit, obedit cũ mœrore. Mihi magis arridet parua obedientia facta amore mei cum gaudio, quàm magna facta cum triſtitia. Qui non obedit hilariter, declarat ſe non me diligere, quia mihi diſplicet triſtis obedientia. Accedit quod onus ſuum aggrauat, ſicut qui hilariter obedit onus obedientiæ omninò alleuiat. O quanto in errore eſt, qui aſſuefacit ſe ad triſtem & cunctabundam obedientiã, quia nec mihi, nec Superiori, nec ſuæ conſcientiæ ſatisfacit, Ac paulatim tali obrepit religioſæ vitæ faſtidium, & poſt faſtidium vitæ infelicitas. Qui enim ſuo ſtatu contentus non eſt, miſer eſt & infelix.

TERTIA proprietas eſt, vt obedientia ſit feruens. Feruor naſcitur ex amore, ſi diligas obedientiam, nihil tibi mandabitur, quod non hilariter & ardenter exequare. Me non latet, qui feruidè, & qui trepidè mihi obediant, & ſcio, qui maiori feruore & ſtudio mihi obſequi poſſint. O ſi religioſi conſiderarent me in omnibus eorum actis eſſe præſentem: atque etiam expenderent, quam gratum mihi ſit & iucundum videre ſubditos gnauiter & ardenter mandatis Superiorum facere ſatis. Conſiderarent etiam benedictiones, quibus tales obediẽtes præ-

uenio, dubium siquidem non est, quin in obedientia præstanda magnoperè accenderentur. Fili, vbi nunc est ardor ille, quo conuersionis tuæ initio flagrabas? Vbi nunc desiderium ingens, quo postulabas tibi multa imperari etiam ardua? Potestnè fieri, vt quò notitiam huius rei maiorē es adeptus, hoc minus facias? Scholasticus, qui imperitior deprehenditur exeunte anno, quàm ineunte fuerit, meretur è schola exturbari, & ad abiectiùs vitæ genus detrudi.

De tertio Obedientiæ gradu pertinente ad intellectum.

CAPVT XXVII.

FILI, hic tertius & supremus Obedientiæ gradus attinens ad intellectū requirit, vt religiosus sentiat, iudicetq; id quod à Superiore decernitur esse melius: imò postulat, vt subditus nō habeat, neque aduersum, neq; diuersum iudiciū à iudicio Superioris. Diuersitas enim iudiciorū est causa inquietudinis & turbationis. Subditus qui voluntate duntaxat coniunctus est Superiori, inueniente minima occasione, quæ iudiciorū pariat discrepantiam, potest ab eo diuelli. at qui semel & voluntate & intelligentia illi

illi est vnitus, non ita facilè diuellitur. Nam intelligentia voluntatē docet, non esse congruentem diuulsionē, etiamsi nonnunquā in exequenda obedientia subditi palato nō omnia placeant. Dum autem & rationibus probat rectè factum, quicquid à Superiore ordinatum est, omninò voluntatem tranquillat Prodest quoq; hæc iudiciorum coniunctio atq; conformitas, ad perfectā executionem eius quod mandatur. Qui non modo vult, quod Superior vult, verùm etiā iudicat id faciendum, quod Superior præscripserit, longè perfectius obedit, quàm qui sola voluntate mandatum Superioris complectitur. Qui indiget calcaribus, plus duobus iuuatur, quàm vno & binæ ligulæ fortiùs ligant vna.

Domine, non satis capio, quomodo subditus possit iudicium suum conformare Superiorum iudicio in omnibus, sicut potest conformare voluntatem. Nam cum voluntas libera sit, in quamlibet partem potest inflecti, at intellectus qui à veritate agnita trahitur, & liber non est, non potest se inflectere nisi in eam partem à qua stat veritas. Vndè si intelligentia subditi ratione aliqua conuicta, quæ rem tanquam veram repræsentet, in eam consentiat, Superioris

rioris verò intelligentia diuersa omninò ratione conuicta, ab eadem re dissentiat, qua ratione subditus in hoc argumento poterit iudicium suum conformare, iudicio superioris, cum non possit intellectum à vero semel cognito reuocare? FILI, quod tu ais verum est, quando veritas cognita est explorata & euidens: tunc enim intelligentiã ita conuincit, vt in contrarium inflecti nequeat. Sed quando abest euidentia, potest intellectus à voluntate adiutus potiùs in vnam quam aliam partem inclinari: & tunc Obediens, ne erret, iudicium suum submittere debet iudicio Superioris, sicut ne erret voluntate, eam quoque voluntati Superioris subiicit. Neque, quia multi subditi aut actiori ingenio, aut maturiori iudicio præditi sunt, quàm fortè Superior, idcircò ab hac subiectione liberantur: quamdiu enim sunt membra, debent subiecta esse suo capiti. Atq; esto ijdem subditi nonnunquam maiori lumine ob scientias illustrati sint, tamen in gubernandi ratione maius lumen à Deo semper conceditur Superiori, quàm subditis, & ideò iudiciũ illius anteferri debet aliorum iudiciis, magniq́ue fieri, quippè cum ego eo vtar in administrandis conseruandisque religionibus.

Cæte-

CÆTERVM faciamus Superiorem non rectè aliquid imperasse (quod tamen cum peccato coniunctum non sit) an ideò subditus in parendo errat? Nequaquam. an meritò obedientiæ destituitur? nec hoc. Cur ergò non debet iudicium suum in omnibus submittere Superiori? Quando ego subiectus eram meæ matri, meoque nutritio Iosepho, obediebam promptè vtrique etiam in iis rebus, quas sciebam feliciorem exitū habituras, si aliter factæ fuissent. Subditi non est procurare, vt optimum sit, quod à Superiore mandatur, sed tantum in hoc incumbere, vt quicquid mandatum fuerit optimo modo exequatur, & sinat Superiorē ea præscribere, quæ ille optima iudicarit. Neque subditus ab exequendo Superioris mandato abstinere debet, etiamsi certus sit, se meliùs facturum, si abstineat: nam subditus non est iudex, sed tantùm executor eius quod mandatur, modo in exequendo absit peccatum. Hoc certè defectu laborant ij, qui volunt quidem à Superiore ordinari, quod conducibiliùs est, sed tamen illud præstare nolunt, cum tamen sint obligati.

OBEDIENTIAM intellectus mihi esse gratissimam, dubium nullum est: cum vlti-

mam tribuat perfectionē holocausto; quod religiosus offert, dum cum voluntate offert simul intellectum & proprium iudiciū, quæ est facultas hominis nobilissima. Deindè omnibus notum est, quam vehementem natura ipsa homini indiderit propensionē ad sequendum proprium iudicium: & tamen religiosus propensionem illam eousq; cohibet, vt amore mei sponte illud iudiciū subiiciat alteri, quod ego maximi facio, & homini est valdè salutare: sic enim vitam agit tranquillā & vero germanoq; religioso cōuenientē. Cōtra verò, q̄ pprio nititur iudicio, nulla in re acqescit, & vitā ducit inqetā.

Hic tertius Obedientiæ gradus duas habet proprietates. Prima dicitur simplicitas, quæ me in Superiore considerans, efficit, vt religiosus Superioris ordinatiōes, nullo antegresso examine, sintnè probandæ vel non, exequatur. O quā ingrata mihi est obediētia disputatrix, quæ simulatq; aliquid à Superiore constitutū est, scisitatur quare, quo cōsilio, quo fine hoc sit decretū. Ego, non euocaui te ex mundo ad disputandū, vel examinandū ea quæ à Superioribus decernuntur, sed ad ea facienda. Vt autē fiant, necessariū non est scire qua de causa, modo vel fine fiant. Tantū ergò inuigila præstandæ obedi-

entiæ,

entiæ, sicuti teneris; & scias ad subditum nõ pertinere indagare, quem scopum Superiores in suis ordinationibus habeant præfixũ. Si patriarcha Abraham à Domino Deo percũctatus fuisset, qua de causa sacrificare deberet filium suum Isaac, quo nitebantur benedictiones gentium, aliæque multæ promissiones ante factæ, non fuisset tantoperè laudata eius obedientia, nec tantũ promeruisset, quantũ simpliciter obediendo meruit. Verus obediens non aliud quærit, quã præstare quod imperatum est. O quantam apud me gratiam collegerunt ij religiosi, qui in Superiorum mandatis discutere noluerunt, essentnè vtilia vel inutilia, congruentia vel non congruentia, periculosa vel non. Vndè factum est, vt à Superiore iussi, etiam immanissimas feras, vt leænas cæperint, flumina ingressi sint, aridos truncos multo tempore irrigarint, & alia similia fecerint. Qui in terra illustria obedientiæ suæ reliquerunt exempla, & in cælo ob simplicitatem in obsequendo eximia consecuti sunt præmia. Fili, optas Deum suscipere peculiarem tutelã tui, vti suscepit sanctorum illorum Patrum? obedias cum simplicitate.

Altera proprietas est Humilitas, sine qua, nec obedientia, nec castitas, nec Paupertas

mihi

mihi placet Humilitas enim est obedientię mater, & altera sine altera cõsistere nequit. Superbus non vult se cuiquam subiicere. qui autem non se subiicit, non potest esse obediens. Superbia, quia subditum reuocat ab exequendis Superiorum mandatis, & meritum omne eripit, & auget afflictionem.

Epilogus de Obedientia religiosa.

CAPVT XXVIII.

FILI, perfecta obedientia requirit proprij abnegationem, integram voluntatis resignationem, & exactam mandatorum executionem. Verus obediens, non respicit personam imperantis, & cui ille obedit, sed in ea oculum coniicit in Deum, cuius amore obedit. Verus obediens, non desinit obedire, etiamsi in modo imperandi sciat esse erratum. Nec resilit ab obedientia, si Superior sit imprudens, vel alij imperfectione obnoxiùs. Errat, qui idcircò obedit, vt à Superiore magni fiat, vel vt aliquid ab eo obtineat; quia amore mei obediendum est. Verus obediens, quo tempore aliquid iubetur, non fugit, non latebras quærit, sed potiùs se ad iussa paratum offert. Verus obediens nihil pensi habet, sitnè à primario Superiore

periore vel subordinato, hoc vel illud ordinatum, sed pari promptitudine vtriusque mandata excipit. Qui mauult in vna potiùs quàm in alia re parere, non meretur nomen veri obedientis. Qui libentiùs vni quàm alteri Superiori obedit, non est perfectus obediens. Qui procurat sibi imperari quod optat, potiùs perdit, quàm lucretur. Verus obediens non explorat quare vel quomodo hoc vel illud sit iniunctum, sed satis est ei, scire esse iniunctum. Perfectus obediens, vt obedientiam perfectam faciat, relinquit opera sua imperfecta. Qui paret Superiori, quia prudẽs est, beneuolus, spiritualis, dexter, liberalis, hallucinatur, quia obediendũ est illi tantum, quia vices meas gerit. Imagini meæ nõ exhibetur reuerentia, propter aurum & argentum ex quo conflata est, sed quia me repræsentat. Vndè æquè illi honor exhibetur, si è charta vel ligno confecta sit, ac si ex auro vel argento. Haud secus Superiori honor omnis & obedientia deferri debet, non ob virtutes quibus præditus est, sed quia vices meas gerit, & me repræsentat.

FINIS.

LIBER

LIBER TERTIVS.

DE PERFECTIONE RELIGIOSA.

In quo agitur de primarijs religiosi virtutibus in quibus perfectio in primis consistit.

DE HVMILITATE RELIGIOSA.

CAPVT I.

DIXI, de humilitate loqui bonum est, sed melius est eam re ipsa exercere. Quid prodest, loquendo multas præclaras de humilitate sententias expromere si in illo ipso sermone aucuperis vanā gloriam, & inaniter te iactes? Humilis, cum submissè de se sentiat, non se occupat in suis, sed potiùs alienis laudibus percensendis. Qui quærit videri humilis, & venatur hominū gloriā, crescit in superbia, & quo humilior vult videri foris, hoc int' in super-

ſuperbia maius incrementum ſumit Humilis omnia ſua bona, donaq; ſpiritualia, vti agnoſcit à me profecta, ita occultat quantū poteſt, & modeſtiæ claue in abditum locum recondit. Nec ſolum in omnibus operibus ſuis ſe reputat ſeruū inutilē, ſed quo plus laborat, hoc plus ſe mihi obligatū arbitratur. Nam cū pro nihilo habeat, quicquid boni facit, omnia bona ſua opera mihi attribuit. Imò erubeſcit corā me, quod ego ipſius opera, hoc eſt, tā vili inſtrumento, quale ille ſe eſſe cenſet, vti nō dedigner O benedictos religioſos, qui in ſuis pectoribus tā ſanctas fouēt humilitatis cogitationes: hoc enim in cōſpectu meo ſe precioſiores carioresq; demonſtrāt, quo amore mei ſemetipſos viliores & abiectiores faciūt. Hi ſunt, qui in cordis mei penetralibus ſedē habēt, quos ſummo amore proſequor, qui buſcū familiariter colloquor & conuerſor. Hi ſunt, quos in cæleſti mea aula in Patris mei æterni conſpectu, & ſanctorum angelorum præſentia extollo In regno cælorū non eſt excelſior, qui in terris fuit honoratior, ſed qui fuit humilior. Meritò igitur ſpiritus meus requieſcit ſuper humilē quia is ſuis diffiſus viribus totus mea nititur gratia. Meritò in hac vita gratiam meam impertio humilibus, quia

quia illi amore mei renunciant honori & existimationi suę in mundo tanti æstimatę. Meritò in cælo humiles eximia corona afficio, quia dum degerent in terra coronam sibi abstulerunt, & ad pedes meos deposuerunt.

Ego antequam è cælo delaberer in terram, summo amore ferebar in humilitatē. vndè & elegi matrem humilem, ac simulatque natus sum reipsa exercere cæpi humilitatem. Cum enim essem Dominus glóriæ, factus sum seruus, & me hominibus submisi. Suo deindè tempore scholam humilitatis instituí, & qui eam frequentarunt, eos factis & verbis vsque ad mortem in humilitate informaui. Discipuli mei similiter fuêre humiles Atque hæc causa est, cur mihi perpetuum fuerit cum superbis bellum. Semper enim odi superbiam, velut capitalem humilitatis tantoperè à me amatæ hostem. Quæ cum ita sint, iudicet quisque sapiens, an cōueniat in religione, id est, in familia mea versari religiosos superbos: an deceat in humilitatis scholā admitti scholasticos elatos. Hinc est, quod religiosi quidam nullum in spiritu faciant progressum, nempè quia exercitati non sunt in libro humilitatis, quæ est fundamentum vitæ spiri-

tualis;

tualis; nec ſtudent imitari me, qui ſum eorum magiſter. Parum prodeſt ſcholaſtico inire ſcholas, ſi non ſtudeat; nec ſe in iis, quæ in ſchola docentur, exerceat.

SVNT inter religioſos nonnulli, qui ſpõtè confitentur ſe peccatores, incurioſos ſegnes, & nihil. Sed ſi alij de illis ſic loquantur, mox turbantur, obmurmurant & honorem ſuum tueri conantur. Qui longè à vera humilitate abſunt Verbis fateri ſe nihil eſſe, & tamen in animo reputare ſe eſſe aliquid, eſt falſa humilitas. Velle autem apud alios in precio haberi, eſt luculenta arrogantia Humilis quò maioribus ornatus eſt donis, hoc amplius ſe apud alios demittit.

OPTAS ſcire fili, quid humilitas efficiat in religioſo? Primò inclinat eius animum, vt ſubmiſsè de ſe ſentiat; deindè, quando opus eſt, eum mouet vt etiam actione externa vilitatem ſuam demonſtret. Qui humilis eſt, in colloquiis, inceſſu, conuerſatione, aliisque actionibus declarat ſe contemptorem ſui. Adhæc vera humilitas facit, vt religioſus patienter & cum gaudio toleret ab aliis contemni. Immò facit, vt non modo non inde turbetur, & murmuret, ſed etiam toto corde gratias agat ſuo

creatori; nouit enim sic se magis assimilari mihi suo Domino & magistro. Vera quoque humilitas inclinat ad fugiendum laudes humanas, & ad bona omnia Deo attribuenda. Præterea religiosus, qui ad perfectę humilitatis culmen contendit, necesse habet optare, vt ab omnibus contemnatur, atque etiam desiderare, vt omnes firmiter sibi persuadeant ipsum verè dignum, qui ab omnibus vilipendatur.

FILI, si in religione pudore suffundare ob vestem tritam vel refectam, vel non libenter te exerceas in officiis abiectioribus signum est te non merere sub vexillo humilitatis, sed esse addictum amori proprio, & optare vt in magna sis apud alios existimatione. Hanc viam si tenere pergas, breui te pœnitebit Qui virtute destitutus quærit in precio haberi, hoc ipso se reprehensione dignum ostendit. Religiosus, qui venatur celebritatem nominis, viuit infelix. Deindè, vel amas humilitatem, vel non amas. Si non amas, nunquam ciuis cæli eris, cuius porta cum sit angusta, non capit homines mente elatos Si autem verè ames humilitatem, cur despicis vestem veterem, & ab aliis contemni? Quid aliud est contemni, quàm exercere se in humilitate, conuersari cum illa,

& be-

& beneficio eius quæstum spiritualem face-
re? Si ames eam, quemadmodum dicis, de-
beres gaudere, cum talis se offert occasio.
Nulli mercatori displicet, si occasio se offe-
rat mercaturæ cum lucro exercendæ. Quis
tu es, qui contemni non vis? An fortè ma-
ior me, qui sum filius Dei. Non certè. & ta-
men à populo vilissimo sum contemptus, &
summa ignominia affectus. Nonnè tu na-
tus es in peccato? nonnè saccus es terræ,
multis miseriis plenus? Cur ergò molestè
feras, si quis vilitatem tuam tibi ob oculos
ponat, & quisnam sis, quod tu ipse deberes
confiteri? Quid prodest tibi, miser, mun-
dum reliquisse, si in religione retines super-
biam? O cæcitas. Cum esses in tenebris
seculi, iudicabas superbiam vitæ esse me-
ram & damnabilem vanitatem: honorem
verò & existimationem humanam crede-
bas esse rem puerilem: & iam in reli-
gionis luce hæc ipsa censes preciosa &
magni æstimanda. Non est signum boni
visus, quando quis in tenebris rectius
videt, quàm in media luce. Certò noris,
bonum religiosum esse non posse, qui
laudes aucupatur humanas. Nec vllus re-
ligiosus verè humilis est, qui non agno-
scit se contemptibilem, & non optat ab

aliis talis reputari. quod tam certum est, vt qui aliud cogitat, seipsum fallat. Immò amplius dico. Si ad pacem & diuini nominis gloriam cederet, siue religiosus contemnatur, siue laudibus celebretur, debere eum secundùm perfectæ humilitatis legem potiùs optare contemptum, quàm honorem, potiùs haberi se stultum, quàm sapientem, quia hac ratione mihi efficitur similior Atque hęc humilitas mihi summoperè placet.

NON omnes rectè momenta rerum expendunt, aut iustè res æstimant, & ideò benè dixit meus Propheta. *Mendaces filij hominum in stateris.* Multi sunt, qui ob humilitatem in statera mundi exigui vel nullius sunt ponderis, quia pro metallo vili & adulterino habentur: hi ipsi in mea bilance pōdus iustum excedunt: homines enim externa specie omnia metiuntur, ego autem ad interna, & in mente abdita oculum conijcio. Quare & multi tanquam viles ab hominibus sunt reiecti, atque vt parum vtiles aliis posthabiti, qui tamen multis nominibus in conspectu meo illis sunt anteferendi, & propter humilitatem in oculis meis velut gemmæ precioſæ refulgent.

Psal. 61.

MVNDVS tantùm magni facit præpotentes homines & opulentos, qui stipendio

a super-

à ſuperbia accepto ſtatim animis efferuntur, faſtuque ſuo & inſolentiis complent omnia. Atque hi, licet pacis turbatores, mirificè mundo placent. Mihi autem placent humiles & pacifici, quos tanti facio, vt peculiarem eorum curam geram, & meritò; nam apud me nõ eſt virtus humilitate ſublimior Imò nulla virtus mihi placet, niſi in humilitate fundata ſit. Matri meæ, quæ mihi ſemper fuit cariſſima, non patuiſſet porta cæli ſi, quantumuis virgo eſſet & puriſſima, ſine humilitate comparuiſſet. Sine virginitate poteſt aliquis ingredi cælũ, ſed non ſine humilitate. Quia verò cum degeret in terris humilitati inprimis operam dedit, cumque eſſet mater Dei, & regina cæli, tamen ſe appellauit & reputauit ancillam, meruit non ſolùm ingredi cælũ, ſed etiam ſupra omnes angelorum choros exaltari.

SVNT religioſi nonnulli, qui queruntur ſe non experiri eam pacem & tranquillitatem, quam in primo religionis ingreſſu experti ſunt. verùm ſi cauſam rei indagent, culpã in ſe ſolos transferent. Cauſa inquietudinis eſt defectus humilitatis. Humilis habet pacem cum Deo, habet pacem cum hõminibus, habet pacem ſecum, & quod magis laudabile eſt, pacem habet cum ſuo

aduersario. nemo enim potest, salua pace, agere cum superbo, nisi humilis: Imò superbus ipse magni facit humilitatem, quia nonnunquam, ne prorsus contemnatur, aut malè tractetur, veste humilitatis fastum tegit. Fili, vis tranquillam agere vitam? repelle à te superbiam; si enim turbauit & inquietos reddidit angelos in cælo, quanto magis turbabit homines in terris.

DOMINE, cum tu creaueris hominem ad consequendum cælestem gloriam, quæ tu ipse es, eumque obligaris ad finem tam sublimem quærendum, quo & natura ipsum inclinat, non videtur conueniens, vt se demittat ad res viles, & eousque se deiiciat, vt aspernetur seipsum ac pro nihilo reputet. Verùm est, fili, hominem conditum esse ad finem excellentissimum; sed videndum est quibus mediis ad illum perueniatur. Angeli etiam creati sunt ad gloriam cælestē, sed non omnes vsi sunt legitimis mediis ad eam consequendam: & idcircò qui plus æquo solium suū extulerunt in cælum, miseri præcipitati sunt in tartara. Nam vt benè dicit Sapiens. *Qui ædificat domum suam, quærit ruinam.* Si vis itaq; exaltari ad gloriā, ad quā es creatus, nullo neq; securiore, neque commodiore ad eam consequendam vteris medio,

Prou. 17

medio, quàm si humilitatem colas. Hanc viam ego tenui, hanc confecerunt Apostoli, hanc omnes beati in cęlo triuerunt: qui aliā viam inierit, à scopo aberrabit.

FILI, non sinas te in fraudem induci. Stude modo humilitati, quæ ex hominibus facit angelos, sicut contra, superbia ex hominibus facit dæmones. Aliæ virtutes tollunt vitia particularia, quæ sunt quorundā tantū peccatorum causa: at humilitas tollit superbiam, quæ est radix & caput omnium peccatorum. Humilitas facit vt humilis sit omnibus carus & gratus. Verùm est, me non magni facere, si religiosus humiliet se apud eos à quibus honore afficitur. hoc enim facile est, & fit ab omnibus sed maximi facio, si submittat se quoque apud illos, à quibus affligitur & persecutionem patitur. Sic res non est magna laude digna, si quis in aduersis, vel dum graui necessitate premitur, sese coram aliis humiliet; sed si quis humilis sit, dum omnia prosperè cedunt.

NVLLVS vnquam fuit, vel nunc est religiosus, qui non optarit virtutem humilitatis, sed non omnes eam obtinent, quia non omnes pro illius dignitate laborāt, nec debita ad eā consequendā media vsurpant.

Quomodo humilitatem consequêre, si nũquam vel rarò consuetudine vtaris humilium? cum non ignores plus exempla valere quàm verba? Quomodo potes esse humilis, si rarò te humilies? habitus enim virtutum non nisi frequentatis acquiruntur actibus. Fili, teneris desiderio veræ humilitatis, pone tibi ob oculos tuos defectus, atque occupa te potiùs in expendendis iis, quæ tibi desunt, quàm quæ in te sunt. Humilis etiam sibi sua bona occultat. Iuuat etiam crebrò reuocare in memoriam mortẽ. O quot fuerunt nobiliores & honoratiores te, nunc autem sunt cinis & puluis, sicut tu quoque breui es futurus. Iuuat nihili facere dignitates mundi, & habere pro meris vanitatibus, sicut reuera sunt. Iuuat eos qui in dignitate sunt, non gloriari, sed reformidare ruinam: quia non est tam iucundum conscendere in altum, quàm triste est & damnosum ab alto delabi. Fili, vis explorare, an sis humilis? hinc cognosce. Humilium propriũ est fugere laudes: sicut manifestum signum superbiæ est laudes aucupari. Propria laus humiles contristat, superbos verò exhilarat. Humilis, quò præstantioribus donis ornatus est, hoc studiosius eis, indignum se reputans, occultat: ardenterque desiderat ea attribui

tribui Deo, se verò vilem haberi & abiectũ. Humilis cedit omnibus, seruit omnibus, tã minoribus, quàm maioribus. Humilis libẽter conuersatur cum hominibus infimę cõditionis. Fili, optas deinceps scire, quantum in humilitate profeceris, attende ad coronas, quas humilitas præbet suis. Tres enim coronas dare solet humilibus. Prima, & minoris precij, est, quando homo se verè & in corde iudicat contemptu dignum. Altera maioris precij est quando contemptum patienter tolerat. Tertia & suprema est, quando gaudet se contemni, & amore prosequitur contemptorem. Nunc expende tecum, quàm ex his tribus coronam promerueris.

De caritate religiosi in Deum.

CAPVT II.

FILI, caritas est fructifera planta, quæ quo altiùs in corde religiosi radices egerit, hoc suauiores fructus producit. Duo ex ea prodeunt rami, quorum alter sursum tendit, quo amplectitur Deum, alter deorsum, quo amplectitur proximos. Vtrisque amplectitur te, ad saluandum te. nam tu amando Deum & proximum, amas & lucraris teipsum, sicut odiendo Deum & proximum, odis & perdis teipsum. De seipso

amando nullũ est speciale mandatũ, sicuti est de amando Deo & proximo, qui enim amat Deũ & proximum, etiã amat seipsum.

Ex his duobus ramis tota lex pẽdet. imò sunt breue summarium omnium, quæ scripta sunt à Prophetis & Euangelistis. Caritas dicitur virtus cælestis, & meritò, quia inter virtutes Theologicas, eius comites sola salit in cælum, vbi aliis virtutibus fruuntur duntaxat fructus, sed caritate fruuntur & fructus & arbor ipsa. Caritas diuersũ habet ab humilitate effectũ. Hęc enim cum sit fũdata in cognitiõe vilitatis & miseriæ humanæ, ita hominem deprimit, vt faciat eum se reputare pro nihilo. At caritas nixa bonitatis increatæ maiestati hominem attollit in cælum, & facit eũ ingredi in sui conditoris, infinitorum bonorum Oceani, pectus.

SCRIPTVRA mea multas caritatis laudes cõmemorat vt omnes in eius amorem accendat. Nunc appellat eam vinculum perfectionis: quia tam firmiter deuincit & colligat humanã voluntatem mecũ, vt in vnũ quasi coalescãt, eò quod propriũ amoris sit, amantem in rem amatã transformare atq; hæc est summa perfectio, quam potest habere in hac vita. Nunc vocat eam fidei vitam virtutum omnium formam, primum Spiritus

sancti

ſancti fructũ, ac, vt vno verbo omnes ſimul laudes comprehendat, ait Deum ipſum eſſe caritatem, & qui eſt in caritate, eſſe in Deo, & Deum in ipſo. Quid verò excellentius eſt Deo? Quid ſecurius, quàm eſſe in Deo? quid iucundius, quàm ſecum habere Deum. 1. Ioan. 14.

CARITAS res magnas patrat in homine illa prædito; ſicut contra, vbi homo illa deſtitutus eſt, magna damna facit, cauſam dat multis lapſibus. Dum anima à corpore humano morte diuellitur, ilicò euaneſcit vita, actiones vitales deficiũt, & omnis corporis venuſtas perit. Sic caritate ſemel in homine extincta, vita ſpiritualis interit, actiones vitæ æternæ deficiunt, & venuſtas ſpiritualis mihi pergrata perit. Sine caritate nemo mihi poteſt eſſe amicus, vel gratus. Neque virtutes vllo apud me ſunt loco, niſi ſint à caritate ordinatæ. Si quis omnium nationum loquátur linguis, & omnium artium notitiam comprehenderit, & tamen caritatis expers ſit, nihil eſt. Et ſi omnia bona ſua in pauperes diſtribuerit, & tamen caritatem non habuerit, nihil prodeſt. Et ſi quis tradiderit corpus ſuum ita vt ardeat, ſi abſit caritas, nihil agit. 1. Cor. 13.

AGE, dic mihi, qui in religione caritatis rationẽ nullã habes. Quid proderit tibi renunci-

nunciasse mundo, & reliquisse omnia, quæ in eo possidebas, destitutum esse omnibus carnis voluptatibus, & alieno iudicio & imperio subiectum esse, si expers sis caritatis? An fortè arbitraris, hoc dici pro secularibus, & non pro religiosis: Falleris Imò hoc pœna tua erit maior, siquidem hoc fine te ad religionem vocaui, vt mundi vestibus exutus te totum vestires caritate. Verùm si tu modo nihil pensi habeas cum veste nuptiali mensæ meæ adsistere, scias te tuo malo tandem exturbandum in tenebras exteriores Si ignis, quem mecum de cælo in terram detuli, non conseruetur in religione, vbi conseruabitur? Si religiosi inter primos non sunt, qui ex eo calesiant, quinam erunt? Proximè assistere igni, & non calefieri, malum signum est. Non parum offendor, si cernam secularem diuino amore inflammatum, religiosum verò frigidum. Si copia meritorum secularis religiosum superet, eò quod plures caritatis actus exercuerit, id religiosum reprehensione dignum ostendit.

FILI, plurimum ad me amandum es obligatus, non tam, quia hunc mundum creaui propter te, aut quia tibi largitus sum tuum esse, & quicquid bonorum in hac vita habes,

habes, aut etiam, quod te à dæmonis seruitute, seculíque periculis & ærumnis vindicarim, quàm quod tanto amore hactenus te sum complexus. Amor primum maximumque beneficium est ex omnibus, quæ tibi sunt facta. nam & quod mundum hunc condiderim tua causa ex amoris fonte profluxit. Quod passus & mortuus sim pro tua salute, amor me exstimulauit. Quod ex seculi huius procellis te eripuerim, solus amor effecit. Nonnè summi fauoris loco duces, quod ego Dominus gloriæ, & rex maiestatis te terræ vermiculum, nullo tuo merito, amore meo præuenerim? Quæ necessitas impulit me, aut quæ vtilitas allexit, vt amorem meum in te dirigerem? Quare saxo durior eris, si præuentus à me tam amabili dono, nullum mihi vicissim amorem rependeris.

DOMINE, si aliquid à me tibi esset rependendum, id meritò deberet primo esse meum, deindè tibi pergratum: nam vt aliquid tuo amori par reponam est impossibile. Quando me creasti, dedisti me mihi, quando redemisti, dedisti te pro me, & me mihi reddidisti. Si ergò, quia me creasti, me totum tibi debeo, quid dabo, quia perditum reparasti & restituisti? Quid dabo pro te,

quod

quod sis oblatus pro me? Et si possem millies quouis momento me dare pro te, quid ego sum cõparatione tui? Quare confiteor ingenuè, tanto plus me debere tibi, quanto tu me es præstantior. Domine, si verũ est, sicut est verissimũ, animã, corpus, vitã, opera, & quicquid bonorũ habeo in hoc mundo, totum esse tuũ, & mille nominibus me tibi esse obligatũ: fateri debeo nihil me in me agnoscere meum, nisi imperfectiones, defectus & peccata. At summa iniuria te afficerẽ, si ad rependendam vicem pro tuo amore, hæc tibi offerrem, quæ non solùm non tibi grata existunt, sed velut contraria & aliena a voluntate tua magnoperè aduersaris.

Sic est fili, sed est tamen aliquid in te, quod tuum est, mihiq; gratissimum, nempè amor tuus, quo pro tuo arbitratu vti potes, cum sis eius dominus. Hic enim non modo mihi est gratus, sed oẽs actiones tuas reddit mihi acceptas, imò nulla res potest mihi placere eo destituta. Et conueniens est, vt cũ ego primus te sim amore prosecutus, tu vicissim amore me complectaris, quandoquidem amor non potest nisi amore cõpensari. Ac si aliud non egissem pro te, quàm quod te meo amore dignum fecerim, hoc solum beneficiũ satis esse deberet ad cor etiã con-

glacia-

glaciatum in amore mei inflamandum. Sic est Domine. O anima mea, si tu in hac ardēti & diuina amoris Saluatoris nostri fornace caritate non incenderis, nescio quis te à glacie æterna sit liberaturus. Quis Pater, quis amicus tanto amore nos cōplexus est, quanto noster redemptor? Ille non amauit nos amore sui proprij commodi studioso, sed amore syncero, quia semper ad nostram salutem, non ad suam vtilitatē respexit. Etenim, cum esset per se beatus, & ab angelis in cælo adoraretur, propter nos in terram descendit factus noster frater & amicus; atq; vt liberaret nos a morte æterna amarū passionis calicem potauit. Amemus igitur eū, & si non possumus eum amare amore infinito, quemadmodum meretur, cum sit infinitè bonus, imò bonitas ipsa, amemus saltem ex corde. Amandus est à nobis, vt Pater noster, & Pater clementissimus, vt munificus omnium quæ habemus largitor, vt pius in omnibus afflictionibus consolator, vt diligens in omnibus necessitatibus nostris prouisor, vt copiosus bonorum operum remunerator, quippe cum nec oculus viderit, nec cor humanū comprehēdere queat, quæ præparatu in cælo habet diligentibus se. Quod si aliquādo nos castigat, hoc impēsi'

à nobis

à nobis amari debet Flagella enim ex amore inflicta damnum nullum faciunt: neque enim omnis qui alium verberat est inimicus, sicut nec omnis qui condonat, est amicus. Cum ergò ille, etiam quando castigat, sit pater amabilis, & pater misericordiarũ, existimandum est, si illud facit, eum facere propter nostram salutem. Anima mea, non amare Deum, sicut amandus est, est non amare. Amari debet ordinatè, non propter bonum, vel malum, quod in hac vel altera vita potest nobis inferre, sed propter semetipsum: omnia autem alia amanda sunt in ipso, & propter ipsum. Amandus est fortiter, caritas autem omnem vanum metum depellit, vim omnes superandi difficultates, aduersaque æquo animo tolerandi præbet. Amandus est toto corde, tota anima, tota mente, & totis viribus. Atque hoc est amare eum actionibus internis & externis, amare prudenter, dulciter, ardenter, & continenter. Amandus est super omnia. qua ratione eum amabimus, si eum cuiuis creaturæ anteferamus; si malimus potiùs millies mori, quàm peccato mortali eum offendere.

Filii, non omnes qui existimant se amare me, amant me. Nec omnes qui arbitrantur se caritatem colere domi, eam colunt.

Cari-

Caritas, cum aliarum virtutum sit regina, nullius ædes ingreditur, nisi tanquam regina excipiatur: nec in iis commoratur, nisi honore reginæ debito afficiatur. Deindè amandus sum non verbis, sed in veritate. operibus nempè volo demonstrari amorem, nõ lingua tantùm. Quomodo tu ames me, si ratò cogites de me, & quando cogitas, id obiter tantùm & languidè facias? Non est hoc amare toto corde, & tota mente. Qua ratione ames me, cum labantur dies integri, hebdomades & menses, vt neque de me, neque de meis rebus sermonem instituas, ac molestè etiam alios de rebus diuinis loquentes audias? Amor pectori inclusus, nec potest tacere de me, nec aures occludere. Quomodo verè potes affirmare te amare me, si non attendas ad ea quæ ego tibi loquor in corde? aut si attendis, cur parui facis? Qui verè amat, non sinit vllum verbum amati frustra elabi, sed recondit in corde suo, ibique accuratè ruminat & expendit. Quomodo me ames, si cum potes, non facis, aut non promptè largiris, quando amore mei aliquid à te postulatur? Vero amatori difficilè non est in amati gratiam minora largiri, cum ante largitus sit ei cor suum, atque adeò seipsum totum. Quomodo

me ames, si nomine meo nullum incommodum vis pati, nullū adire periculum? Qui amat ex corde, non dubitat pro eo quē amat mortem oppetere. Qua ratione potes affirmare te amare me, si in obseruādis meis mādatis tantam sentis difficultatem, tamq; negligens es, vt videaris ea non obseruare nisi coactus? Amor morā non fert, nec fastidio afficitur, sed summa alacritate præstat voluntatem amati. Quomodo fieri potest, vt me ames tota anima tua, cum tantoperè addictus sis propriæ existimationi, aliisq; reculis parum cum mea voluntate congruentibus? Qui alium amat præter me, & non propter me: aut non amat me, sicut deberet. Quomodo asserere potes te me amare, si neque ames, neque honores pro dignitate Superiores, qui vices meas obeunt: cum perspicuè declararim omnem honorem vel contemptum qui illis fit, fieri mihi? Verus amator nō est, qui non se cōformat amato.

De caritate religiosi versus proximum.

CAPVT III.

FILI, reperies in mundo nonnullos, qui nullum honorē sibi cupiant deferri. reperies qui dignitates respuant. reperies, qui dona, fauores & oblationes aliorū non recipiant.

piant, at non reperies, qui nolit ab aliis diligi, maximè amore honesto & recto, qui, cũ nec suspicionẽ, nec fastidium vllũ ingerat amato, naturaliter placere solet. Multi amãt proximũ, sed amare nesciunt, & ideò eorum amor nonnunquã est infructuosus, vel etiã noxius. Ego mandatum dedi de diligendo proximo, modumq; illũ diligendi exposui. Si ames proximũ, quoniã est tuus cognat⁹, vel amicus, aut quia est eiusdem tecũ nationis, nihil agis. non est hæc caritas in cælum saliens, sed amor naturalis permanẽs in terra, cõmunis nobis cũ gentilibus & barbaris. Si verò ames eum propter lucrũ vel cõmodũ, quod ab illo recipis, vel speras, amas teipsum, & non proximum. Qui amor dicitur concupiscentiæ, nec diutiùs durat, quã vtilitas inde sperata. Diligere proximũ cõmodi sui causa, caritas non est, sed mercatura. Caritas verè efficit, vt proximus diligatur, quia ad meam similitudinẽ conditus est, & capax est beatitudinis æternæ. Caritas vera ordinat, vt proximus ametur propter Deũ, & in Deo. Et qui hoc modo amat, amat omnes, æquè pauperes, ac diuites, nobiles & ignobiles, omnes complectitur, & vitam æternam eis precatur. Amat æquè aduersitatis ac prosperitatis tempore. Qui enim à

dilectione proximi cessat tempore necessitatis, declarat se eum non dilexisse propter me. Hæc omnia sic intellexi, quando mandaui proximum diligi sicut seipsum, hoc est, vt ei optares, quæ tibi optas. Et sicut teipsũ amare debes in Deo, & propter Deum parendo eius legi in terra, vt postea fruaris præmio in cælo: sic amare debes tuum proximum, vt eiusdem beatitudinis tecum capacem. O si religiosi in amando proximo hæc seruarent, non cernerentur in religionibus & Ecclesiis tot partialitates. Nonnulli amantur præcipuè, quia docti sunt vel beneuoli. alij, quia diuites & gratiosi. alij, quia nobiles: qui verò tales non sunt, respuuntur. O fraudem. Quid commune caritati cum eruditione & opibus? atque si quis non est aut opulentus, aut eruditus, aut venusto habitu diligi non debeat. Caritas inprimis in me respicit, & ideò omnes diligit in me. Verùm, est & alia magis deploranda miseria; quod quidam ideò diligunt alios, quia eandem cum illis habeant naturæ & sanguinis complexionem. Non est hæc caritas, sed carnalis affectio veræ caritatis inimica. Caritas multo laxiùs se effundit: extendit siquidem se ad omnes, quoniam oẽs ad gloriam æternã con diti sunt, & omnes

meo

meo sanguine redempti. Fili, noli te in periculum coniicere, & tibi nocendi, & me offendendi, & idcircò ne attendas ad complexionem, & inclinationem sanguinis; si secus feceris sub specie caritatis fouebis sensualitatem, quæ breui tempore te in errorem perducet, illaq; te, non tu illam, in loca auia pertrahet.

ETSI tota lex Euangelica mea sit, quia eam tuli, tamen præceptum de diligendo proximo sigillatim appellaui meum, vti intelligeres, quàm grata mihi sit syncera proximi dilectio. Volui quoque caritatem esse symbolum quo cognoscerentur mei discipuli, sic prorsus, vt è mea schola non sit, nec ex meis ouibus, qui non diligit proximum, sicut suipsum. Caritas etiam est signum amoris, quò quis me prosequitur. Falleris fili, si non diligendo proximum putas te posse diligere me. Qui non diligit, quem videt (ait meus dilectus Ioannes) quomodo diliget, quem non videt? Verum quidem est amorem in Deum creatorem esse primum, ex quo oriatur amor proximi: sed verum quoque est amorem creatoris foueri amore proximi: vndè hoc deficiente; necesse est & illum deficere. 1. Ioā. 4.

MVLTI arbitrātur se esse meos amicos,

& non sunt, propter odium, & prauam voluntatem qua affecti sunt erga proximum. Nõ sum amicus duri cordis & peruersi. Non amare, ferocis animi signum est: odisse verò impij & crudelis. Ama, si vis amari. & ama omnes, si vis me esse tecum: quia si vel vnũ à te excludas, tuaque caritate, me quoque è tuo corde excludes. Si tu, cum sis religiosus, quempiam diligere nolis, quod te re aliqua offenderit, quod discrimen erit inter te & secularem fortè castra sectantem? Non ita fecêre mei discipuli, qui nec odio prosequebantur, nec vllo verbo lædebant eos à quibus iniuria affecti fuerant, sed exultabant toto pectore, si quando occasionem aliquid patiendi pro nominis mei gloria haberent.

Qvo maiori exemplo incitari potes ad diligendum proximum, quàm Patris mei cælestis, qui etiamsi creberrimè à toto mũdo fuisset summa affectus iniuria, tamẽ tantoperè eum dilexit, vt vnigenitum filiũ suũ pro eo dederit? Et ego homo factus, quid non egi pro proximis? totam vitam meam in eorum salutem impendi. Dum vixi, fui eorum dux & socius. Vtq; eis demonstrarem viam rectam in cælum, nullis laboribus peperci. Adhæc in humeros meos omnia eorũ

debita

debita iustitiæ diuinæ obnoxia reieci, pro quibus in cruce moriens abundè satisfeci. Neque hic finis fuit singularis mei in proximum amoris. Nam ex præsenti vita migraturus ad patrem cęlestẽ, me ipsum reliqui in altaris Sacramento, tũ vt cibus hominis essem, tum vt arctissimè illi me coniungerẽ, & semper cum illo essem. Atque etiam vt eius virtute corroboratus aliquando excelsum conscenderet montem, in quo illis bonis in æternũ perfrueretur, ad quæ conditꝰ fuerat.

Ex his quisque æstimet, an religiosi, qui inuitati sunt, vt sint instar Patris cælestis, perfecti, quique professionem faciunt me, suum magistrum, imitandi, debeant operibus ipsis diligere proximos, eisq; subuenire quacunq; re possunt. Expendatur, num digni sint amari à me illi religiosi, qui nulla solicitudine diligendorum proximorum tanguntur, vel certè ob incommoda exigua quæ metuunt, negligunt opem ferre iis qui eorum operam implorant. Examinetur, an iniuriæ ipsis illatæ, aut damna facta, idonea causa sint, eos non diligendi vel iuuandi, cum ego longè atrociores perpessus sim iniurias, & tamen ideò amorem meum non subtraxi, imò vitam pro eorũ salute profudi. Religioso qui grauiter fert illatas iniurias,

& ideò non vult benè facere proximo, omne lucrum spirituale conuertitur in damnum. Iniuria siquidem noxia est inferenti, illi autem cui infertur, si patienter eam toleret, salutaris. Si ergò iniuria religioso ansam præbet cumulandi meriti, non habet certè quod magnoperè succenseat eam inferenti. Ego nunquam huiusmodi doctrinam tradidi, nunquam exemplum eius rei dedi, sed perpetuo docui bonum pro malo reddendum.

FILI, recordare te tuosque proximos omnes originem trahere ab vno parente nempè Adamo, ac proindè esse obligatos, vt vos mutuo tanquam fratres diligatis. Reuoca quoque in mentem Apostoli mei verba dicentis, vos esse mea membra, & ideò vigere debere inter nos amorem, qui viget inter vnius corporis membra. Vnde clarè poteris cognoscere, an verè diligas proximum, & quantum. Qui parui facit, aut contemnit proximum, quantumuis se inferiorem, veram caritatem non habet. Nunquã vel caput vel oculi, quæ sunt membra nobiliora hominis, contemnunt pedes, licet mẽbra inferiora & ignobilia. Qui contristatur de proximi bono, aut lætatur de malo, indicat se eum non diligere, quia vnum membrum

1. Cor. 6.

brum compatitur vel congaudet alteri. Caritas tam bonum, quam malum proximi reputat sibi quasi proprium. Qui per inuidiam vel extenuat, vel traducit acta proximi, nequaquam eum diligit. Nunquam visum est, vt pedes læderent manus. Qui non opitulatur proximo quantum potest, caritatē non habet. Nunquam oculi negant aliis membris officium videndi. Vera caritas licet læsa, non indignatur, non molitur vindictam, sed proximo succurrit, & lapsus eius excusat.

De gratitudine religiosi erga Deum propter beneficia ab eo recepta.

Caput IV.

Dic Fili, quis pater, quæuè mater tantùm vnquam præstiterit liberis suis, quantum ego præstiti religiosis? Et quis filius tantum à progenitoribus suis acceperit, quantum religiosi à me Creatore suo & Domino? Beneficia non amittunt beneficiorum nomen, quod sint multis communia, nec obligatio eorum vel imminuitur, vel cessat, eò quod multi eorum participes fiant. Ego te creaui, teque feci ad imaginem meam. Quod si, vt conuenit, expende-

res, satis esset ad te mihi infinitè obligandum. Creando enim te ex nihilo, non qualicunque natura & esse te ornaui, sed natura prænobili, rationis compote, libera & omnibus creaturis sub cælo comprehensis superiore. Imò te constitui principem & dominũ in terra, tuoq; imperio subdidi volucres cæli, pisces maris, bestias terræ, & cætera omnia creata. Hoc totũ, vt maximũ beneficium sit, tamen si conferatur cum fine, ad quem te condidi, nullũ est. Scias ergò me te ad excellentissimum nobilissimumq; finẽ, quo maior nec est, nec esse potest in mũdo creauisse, qui est, in omnem æternitatem perfrui diuinæ maiestatis cõspectu in cælis.

Auesnè videre fili, quàm ingens sit creationis beneficium, quod aliorum omnium est fundamentum? Age dic, si manibus pedibusq; destitutus esses, quanto pretio illa comparares? & si mutus fores aut cæcus, quantum dares pro recuperanda facultate loquendi & videndi? non dubium, quin dares mundum totum, si tuus esset; mallesque vitam pauperrimam cum his membris, sensibusq; degere, quam regiam etiam dignitatem in terris sine illis sustinere. Atq; hinc constare tibi facilè potest magnitudo beneficij creationis, per quam donatus es corpore,

pore, omnibusq; eius membris & sensibus, anima quoque cum omnibus eius facultatibus, ac vita cum omnibus ad eam necessariis. Probè nosti, ex beneficij magnitudine æstimandam obligationis magnitudinem. Perpende modo tu, quantum pro hoc solo beneficio nullo merito tuo tibi concesso, sis tuo Creatori obstrictus. Considera, ingrati animi notam fore tuam, si vitam, sanitatē, vires, & quicquid habes non expendas in seruitium tui benefactoris. Considera, quā graue peccatum sit, abuti sensibus, aliisque animi facultatibus in offensam & contemptum eius, qui gratiosè tibi illa omnia impertiuit. Et si ingratitudinis vitium tam grandè est apud seculares, quantum erit apud religiosos, qui maiore luce sunt donati, & pluribus nominibus mihi obligati? O quam accuratam reddituri sunt rationem religiosi ingrati, qui non considerantes beneficij huius magnitudinem, aut prorsus eius obliuiscuntur, ac si non recepissent, aut parui faciunt. Quid mirum ingratos in hac vita nouis non potiri beneficiis, & nonnunquam spoliari acceptis? Ingratitudo repellit à se benefactorem, sicut gratitudo eundem inuitat ad maiora beneficia conferenda.

Quæ

QVÆ deindè ad te conſeruandum præſtiti, nec inferiora ſunt iam dictis, nec minus te mihi deuinciunt Ego ordinaui, vt omnes creaturæ tibi ſeruirent, quarum quædam ad neceſſitatem, quædã ad recreationem ſeruiunt, alię etiam ad exercitationem corporis vel animi. Cæli in orbem aguntur propter te: quicquid mare vel terra producit, in tuum vſum producit. Ipſos angelos, tam excellentes creaturas cuſtodes tibi adiunxi. Nec alia cogitatio me premere amplius videtur, quam tibi in omnibus benefaciendi, ſic prorſus, vt verè dici queat, te eſſe huius Vniuerſi finem & ſcopũ, quandoquidem omnia condita ſunt propter te, atque vt in tuum vſum & ſeruitium ſint parata. Si me nunc percuncteris, qua de cauſa in hoc vſque tempus vitam tibi prolongarim, cum multis te iunioribus, & valentioribus ſecus factum ſit? Certum eſt, me eam non prorogaſſe, vt me pergeres offendere perſiſtendo in priſtina ingratitudine, ſed potiùs vt mores corrigeres, & reipſa te mihi benefactori tuo gratum demonſtrares.

ATQVE hæc omnia præſtiti citra vllum meum laborem, aut dolorem. Verùm ad redimendum te, & à dura peccati ſeruitute liberandum, quid non ſum molitus? Filius

Dei

Dei cum essem, & in summa vniuersæ aulæ cælestis veneratione, pro salute tua descendi de cælo in terram, & homo factus infirmitatibus humanis subiectus cæpi causa tua ingentes sustinere labores. Quot ærumnas perpessus sum, quot toleraui calumnias, quantum lacrymarum; imò sanguinis pro te profudi? Certè vt liberarem te à morte æterna, & ex immani dæmonis tyrannide te vindicarem mortem opperij. Vide fili, quàm carè mihi constiteris. Vide, quod omni iure non sis tuus, sed meus. Et scias, redemptionis beneficium, licet commune sit omnium hominum, non tamen eius fructu omnes frui; quia non omnibus obtigit fidei lumen cuius ope viam agnoscant, qua ad me perueniatur. Quoniam verò tu vnus ex illis es, qui summis à me beneficiis sunt affecti, siquidem in sanctæ Ecclesiæ gremio natus es, & splendore cælesti illustratus, fac ne sis ingratus, sed donis acceptis vtaris, ne de felicitate tua corruas. Qui laqueos cernit, & cum possit euadere, se in illos temerè induit, meretur pœnam. sicut qui non videt laqueum, commiseratione dignus est, si improuiso illo irretiatur.

Cvm nonnullis deindè in beneficiorum collocatione longiùs sum progressus, vti sunt,

sunt, quos vocaui ad statum sublimiorem, & perfectiorem, & in numerum carissimorum amicorum adsciui, quibuscum longè familiariùs, quàm cum aliis, conuersor. Atque hi sunt religiosi, quorum obligatio opinione tua maior est: nullum enim temporis momentum in eorũ vita à noui accessione beneficij vacat. Imò si benè perpendas, beneficio potiri cæpêre antequam in lucẽ editi sunt. An tibi beneficiũ non videtur, quod ego ab æterno, citra vllum ipsorum meritũ, in eos amore paterno oculos meos conuerti, vt donis cælestibus locupletarem? Deinde nonnè de iis iam natis peculiarem curá gessi & solicitudinem? Quanta patientia toleraui eorum imperfectiones? Quot mediis vsus sum, vt eos è fallaci hoc mundo extraherem, & in optimam viam traducerem? A quot delictis eos præseruaui, nunc tollendo occasiones delinquendi, nunc vires subministrando ad excutiẽdas tentationes, nũc à noxiis rebus eorum desideria auertendo?

IAM verò, quæ lex mandat vel permittit, vt malum pro bono reddatur? Quæ fera tam immanis est, quæ lædere tentet suum benefactorem? Si sola ingratitudo deterior fera est, quia mala rependit benefacientibus. Si sola beneficiorum obliuio res infa-

mis

mis est, & reprehensione digna, quid erit offendere benefactorē? Multi conspecti sunt religiosi, qui morte impendente vehementer doluerūt de ingrati animi vitio, firmūq; propositum fecerunt, se, si reualescant fore gratissimos, omneq; studium in pietate colenda posituros. Verùm æquo tardiùs sapuerunt. Fili, optas abominabile ingratitudinis crimen fugere, ne differas propositum; sed iam iā initium fac beneficiis acceptis respondendi. hoc enim est esse gratum. Gratus est, qui haud secus ac mortem metuit vel in minima re suum benefactorē offendere. Gratus est, qui vitam, sanitatem, vires, & quicquid habet impendit ad honorem & gloriam benefactoris. Gratus est, qui in pietate colenda est diligens, & in omnibus actionibus suis conatur se diuinæ voluntati conformare. Contrà, ille religiosus ingratus est, qui religionem suam non tractat velut matrem & dominam. Religiosus, qui in precio non habet suos Superiores, nec eis honorem reuerentiamque congruentem defert, tanquam meis Vicariis, est ingratus. Ille quoque ingratus est, qui non orat deuotè pro suis benefactoribus, quorum opera & industria necessaria ad sustentādos religiosos procuro. Deniq; gratus est, qui

qui omnibus in rebus optat gratum se ostendere.

De Patientia religioso necessaria.

CAPVT V.

FILI, cum hæc vita sit infelix filiorum Adami exilium, non potest homo eam sine molestia, multisque afflictionibus transmittere. Et idcirco Ecclesia mea eam appellat vallem lachrymarum, quia nullus in ea status est, neque locus, in quo non suppetat plangendi occasio. Eligat quispiam statum qualemcunque libuerit, & omnibus bonis temporalibus circumfluat, tamen non decrunt ærumnæ & fastidia, atq; vnde minus expectabit, indè se ingerent afflictiones & molestiæ. Nam insigni eruditione pollere, abundare opibus, frui fauore omnium, imperare aliis non eximunt hominem ab hoc exilio & lachrymarum valle. Atque ideò quamdiu homo spiritum in hoc corpore trahit, non deest lugendi materia.

OMNES optant crucem defugere, sed illa occultat se nemini. Non est vna tantum in hac vita crux, sed innumeræ. Nullus locus, nullum tempus, nullus status aduersi-tatum expers est, & idcirco melius est earũ

quæ-

quærere remedium, quàm fugere. Nonnulli dum vnam auertunt crucem, incidunt in aliam maiorem, & vbi credebant se offensuros animi tranquillitatem, inueniunt & animi & corporis perturbationes. Vnicum & præsens omnium huius vitæ calamitatũ antidotum est Patientia, quæ non fugiendo, sed resistendo victoriam obtinet.

Ad intelligendum Patientiæ officium, scire opus est, ex aduersis casibus qui in huius vitæ exilio accidunt, in corde hominis tantùm nasci tædium & mœrorem, vt obscuret rationem, & animam perturbet, ac sicut febris in ęgro, corporis actiones impedit & retardat, ita impediat non modo salutares mentis actiones, sed etiam ianuam patefaciat multis inordinatis cupiditatibus & peccatis. Qua de causa scriptum est, à Sapiente, tristitia multos occidit, nõ corporali tantùm morte, sed etiam spirituali. *Eccl. 30.* Patientia autem est virtus, quæ temperans dolorem & mœrorem ex tribulationibus ortum, rationem seruat & munit, ne ab animi cupiditatibus de statu suo deiiciatur. Quod non est aliud, quàm aditum præcludere multis erroribus & lapsibus, qui contingunt, dum animus est inquietus, & ratio turbata. Atque ideò in mea Scriptura dici- *Iac. 1.*

tur, patientiam opus perfectum habere, nempè, quia moderato semel dolore angoreque animi, omnia odia, indignationes, vindictæ, cæteraque mala, a perturbationibus illis oriri solita, facilè euanescunt. Vbi autem ratio omni perturbatione soluta fuerit, fit vt homo integrè & perfectè opera virtutum exequatur. vndè quidam Patientiam appellant virtutum custodem, nec iniuria. Nam virtutes non possunt vim suam exercere, quando ratio est turbata, & mens inquieta. Et idcircò præsidio patientiæ indigent, quæ rationem à turbatione, & mentem ab inquietudine liberam conseruet, ac consequenter seruentur & virtutes. Domus custode destituta facilè spoliatur.

Ad curandos præsentis vitæ morbos tria genera antidotorum vsurpantur. Primum est, quod præscribunt medici, & hoc non semper sanat, vel iuuat, imò crebro noxium est. Medici enim causam morbi frequenter non assequuntur, quare nec rectè illi mederi queunt. Alterum est Oratio, qua recurritur ad medicum cælestem: qui, vti sapientissimus exploratos habet omnes morbos, ac vt omnipotens vno momento potest depellere. Verùm hæc medicina,

quam-

quamuis semper prosit, non tamen semper incolumitatem restituit. Medicus siquidem cælestis semper præscribit antidotum, quod ægro expediat, non autem semper expedit ægro sanitas corporalis, & ideò non semper à DEO datur. Tertium antidotum est Patientia, quæ semper prodest, & semper sanat, salutaris est animæ & corpori, & iuuat non ægrum tantum, sed etiam circumstantes ob bonum exemplum, quod illis præbetur. Hoc tertium antidotum tam proprium est religionis, vt religiosi, qui illud vilipendunt, vel non vsurpant, semper grauiter ægrotent. Satis magna ægritudo & infirmitas est, quando anima per impatientiam est inquieta..

FILI, quare, dum in religione aliquid tibi contingit permolestum, dum ingens labor subeundus, aut aduersa tolerãda sunt, non vteris patientia, sed turbaris, obmurmuras, affligeris? Nonnè renunciasti seculo, ad perferenda amore mei aduersa? nonnè apud animum tuum proposuisti, te pro animæ tuæ salute omnia, licet grauia toleraturum? Cur ergò, cum occasio se offert re ipsa tam pia vota explendi, resistis, & turbaris? Respice parumper in me,

& dic mihi, quod peccatum ego in mundo commiserim ?quem in tota vita mea offenderim ? & tamen à tempore, quo in hanc lucem prodij, aliquid sum perpessus, tuaque causa multos amaros bolos deglutiui. Quot contumeliis sum appetitus, quot lacessitus iniuriis, quas tamen patienter sustinui, vt tibi exemplum darem conuenienter tuæ vocationi viuendi. Quod autem tu nunc nolis patientiam in perferendis æquo animo opprobriis; amplecti, res est, quæ dedecet hominem secularem, ne dicam religiosum, qui professionem virtutis, meique imitandi, qui tanto affectu semper sum complexus patientiam, fecit.

Domine, libenter omnia amore tui tolerarem, sed cum video quosdam iniustè me persequi, ferre nequeo, & idcircò turbor & lamentor. Falleris fili, si arbitraris iustam tibi causam turbationis suppetere. Age dic mihi, non ego iniustè passus sum persecutiones ?nonnè toleraui falsas accusationes, & falsa testimonia ? nunquid idcircò turbatus sum, vel conquestus ? Et verò, quot religiosi in cælo hactenùs sunt coronati, qui graues persecutiones passi sunt in terra ? Si improbi & flagitiosi homines iniuria neminem afficerent, non esset tam ingens bono-

tum

rum meritum. Iniustè pati, est patientiæ corona. Si autem iustè patiaris, hoc est, propter tua delicta; potiùs iusta est punitio, quàm patientiæ virtus: patientia siquidem iniurias perfert amore mei & virtutum. Vndè Scriptura mea pronunciat beatos, qui persecutiones patiuntur, sed propter iustitiam. Iniuria patienter eam toleranti est lucrum; inferenti autem est crimen & dispendium. *Math. 5.*

SVNT aliqui religiosi, qui variis pœnitentiis sese affligunt, hi ieiuniis, illi ciliciis, veberibus alij, quæ perferunt libenter & patienter. Sed, quando eædem pœnæ illis imperantur à Superioribus, obmurmurant, & turbantur; ac si expleant, explent inuiti, repugnante voluntate, & impatienter, atq; ita meriti iacturam faciunt. Qua in re nonnè manifestè hallucinantur, & delinquunt? Dic mihi, rogo, quo fine tam acriter & patienter in corpus tuum desæuias? nunquid vt mihi placeas? Si sic est, multo promptiùs & patientiùs deberes tolerare pœnas à Superiore iniunctas: tunc enim rem mihi longè gratiorem præstares: exerceres siquidem tres virtutes mihi gratissimas, patientiam, humilitatem, & obedientiam. Qui propria tantũ voluntate se affligit, rarò euadit perfectus.

O quantum ruborē filij huius seculi iniiciunt religiosis, filiis scilicet lucis? Illorum enim pleriq; vel ab ambitione, vel auaritia, aliauè praua cupiditate incensi, nullis parcunt laboribus, graues molestias deuorant, & in quæuis discrimina se coniiciunt, quo vanis suis conatibus faciant satis. Et religiosus non patienter feret aliquam tribulationē amore mei, & pro gloria animę suæ? Qui nō amat, pati quoq; reformidat. Adhęc ambitiosi & auari, si quando aliquid incomodi patiantur, sedulò cauent ne animus mœrore obruatur, atq; ita à prosequendis cæptis semel negotiationibus retardentur, sed mēte erecta, alia atque alia media excogitant, vt iacturam resarciant. At nonnulli religiosi minima aliqua calamitate vel molestia sinunt se de statu mentis deiici, minimoque verbulo sic exacerbantur, iraq; inflammantur, vt omnis deinceps reliquorum operum fructus illis pereat. Non sic egēre mei Apostoli, qui ibant gaudentes, quod digni habiti essent contumeliam pro nominis mei gloria pati. Et martyres tam hilari animo acerbissima quæque perferebant supplicia, vt nonnulli, qui à tyrannis iussi erant nudis pedibus ignitos calcare carbones, existimarint se ambulare in rosis.

Act. 5.

Quod

Qvod homo secularis impatienter ferat iniurias & res aduersas mirum non est: ille enim putat se esse sui honoris, & existimationis dominum, quandoquidem nunquam illis, vti faciunt religiosi, renunciauit. vnde mirandum non est, si læsus commoueatur. Deinde secularis, quia nulli vnquam se subdidit tanquam seruus, putat se totum esse suum, & seipso niti: quare nec potest magno aliis esse offendiculo, si grauiter illatam ferat contumeliam. At quod religiosus, qui publicè se omni honore & existimatione propria abdicauit, impatienter irrogatam toleret iniuriam, id eius statu prorsus indignum est. Deindè religiosus, cum mihi sit traditus, non est amplius sui iuris, sed mei, & totus à me dependet. Quocirca nemini durum videri debet, si ille contumelia aliqua afficiatur, si morbo, si alia quauis calamitate probetur. Seruo meo id tantum incumbit curandum, vt mihi seruiat. Quo modo autem seruire debeat, hocnè an illo, id mihi curandum relinquat. Ego opera eius vti possum, etiam cum lecto est affixus, & persecutione aliqua exagitatur. Certè perfectiùs nonnulli mihi inseruiunt dum ægri sunt, vel afflictati, quam dum sunt valetudine in-

tegra, & ab omni aduersitate liberi. Nunquam apud me malo loco est religiosus ob vitia corporis, sed ob impatientiam, aliaq; vitia animi.

MVLTI religiosi sunt, qui dum orationi vacant, existimant se patienter constanterque posse amore mei sustinere omnia tormentorum genera, atque etiam profundere vitam propter me, & esse martyres: sed postea re ipsa, si verbo aliquo acriori pungantur, aut si aliquid imperetur, quod cum molestia sit coniunctum, frontem contrahunt, & tantum non, quod deteriùs est, in impatientiæ verba & gestus palam erumpunt. Qui non assuefacit se ad toleranda parua, nunquam æquo animo tolerabit magna & ardua. Fili, vis esse martyr, sine gladio & sanguine? custodi in animo patientiam.

De mansuetudine à religioso colenda.

CAPVT VI.

Mat. 11. FILI, disce à me, quia mitis sum & humilis corde. Mansuetudo fuit prima virtus, quam ego in schola mea docui, & ad eam discipulos meos sum cohortatus. est siquidem illa ad cæteras virtutes comparandas medium facile & salutare. Mansuetudinis enim muneri cum incumbat tueri animæ.

pacem

pacem contra impetum iræ, facit vt mens nulla difficultate virtutes apprehendat. Dū autem & corpori patrocinatur contra immoderatas passiones, efficit, vt corpus idoneum instrumentum ad obsequendum animæ fiat in virtutum acquisitione. Quocirca religiosus, qui nullum singulare studium impendit in consequenda mansuetudine, è schola mea quodammodo non est, & aditū virtutibus, perfectionique religiosæ præcludit.

NVLLVS homo in mundo tam ferox est & barbarus, qui si perpendat pulcritudinem, excellentiam, & proprietates virtutis mansuetudinis, non eam collaudet, & eius amore accendatur. Fili, aues intelligere, quàm nobilis sit mansuetudo? confer eam cum contrario vitio, nempè iræ intemperantia. Hæc ira rationi humanæ, tanquam dominæ suæ, cuius ancilla est, tenetur obsequi: at si non obsequatur, sed rationem præcurrat (vt ordinariè contingit) tantoperè animi facultates inter se diuellit, & iracundum hominem perturbat, vt nihil distare videatur à stulto, furioso, & bestia à dæmone obsessa. Ira, quando in animo dominatur, primum facit, vt iracundus nec Dei, nec conscientiæ suæ meminerit. Ani-

mo eripit omne iudicium, hoc est mentis oculum, vnde facta cæca in varios impellitur errores & lapsus. In corpore humorum tollit contemperationem & symmetriam, & variis morbis causam præbet. Proximis quoq; nocet ob prauũ exemplum. Summa, vita iracundi est infelicissima, non solùm, quia nullus libenter agit cum illo, sed etiã quia omnia vult suo modo fieri, quod tolerari non potest. Vndè, quando pro arbitratu illius quædam non fiunt, aut rei alicuius damnum fecit, vel iniuria aliqua lacessitus est, ilicò in clamores erumpit, contumeliis alios proscindit, vindictam comminatur, & nonnunquam per animi impotentiam in seipsum furit. His omnibus malis medetur mansuetudo, cuius natura, primariumque officium est, iræ intemperantiam compescere, aliasque perturbationes ex ea ortas cohibere. Principio ergò coercet & mitigat impetum, furoremque iracundiæ, deindè vindictæ appetitum ad rectæ rationis normam attemperat; solet enim in iratis limites excedere. Facultates animi suo quasque ordine conseruat, & vt suo munere fungantur, procurat. Denique hominem totum sedatum reddit, & idoneum, non tantum ad agnoscendum suum

creato-

creatorem, sed etiam ad familiariter cum eo conuersandum, quod donum Moysi ob suam mansuetudinem contigit.

NEQVE hic subsistit mansuetudinis vis & efficacia, sed etiam porrigit se ad coercendas iras proximorum; quia vnum responsum molle & benignum, vna mansueta actio sufficit ad quoduis animal ferox mitigandum, ne dicam hominem ira inflammatum. Verùm, quod pluris faciendum, mansuetudo tantæ præstantiæ est & autoritatis, vt in cælum ascendat, & iram iusti Dei auertat, grauissimosque lapsus condonari impetret. Væ, qui resistit irato, se potentiori.

VITA deindè mansueti felicissima est, quia non solùm mihi, Domino suo, sed etiã omnibus proximis gratissima est. Vndè quilibet libenter vtitur consuetudine hominis mansueti, omnes optant ei gratificari. Vide ergò fili, quàm fructuosa & venusta sit virtus mansuetudinis. Expende tu, an non conueniat, vt summo amore eam prosequare, & omni studio contendas eam obtinere? Neq; tibi arduum videatur repugnare inclinationi naturæ in cholerã admodum procliui: nã propriũ est hominis religiosi, coërcere passiones, refrenare sẽsus, & internam animi pacem fouere. Cæterũ, esto, mansuetudo

tudo nihil dictorum habeat; hoc tamen vnum te impellere deberet ad comparandã omni industria mansuetudinem, quod religiosum similem reddat mihi, Domino tuo & magistro. Deinde nonnè labor omnis optimè consumitur in ea virtute paranda, quæ non minus mihi grata sit, quàm religioso salutaris? Non ipsum esse religiosum, sed esse virtute præditum. reddit hominem similem suo Domino & magistro: atque ad agendam vitam tranquillam & pacificam non satis est reliquisse mundum, sed opus est etiam coërcere iracundiam.

FILI, ne cogita, te, quoniam religiosus es, immunem esse ab hostium tuorum telis, quia dæmon plus studij ponit in seruo meo vnico, quàm in multis secularibus de gradu virtutis deiiciendis. Inimici quoque domestici, hoc est passiones vel perturbationes animi, quando mortificatæ non sunt, grauiter vulnerant religiosos. Quare opus habes scuto solido, quo tot aduersariorum ictus retundas. Hoc scutum erit mansuetudo, quæ hostili impetu nequaquam frangitur, sed excipiendo illorum ictus victoriam refert. Efficit quoque, vt mansuetus in ærumnis suis magnam in me fiduciam collocet: & ideò animum retinens erectum, non facilè

cilè labitur, nec rebus prosperè fluentibus plus æquo se extollit, atque hoc est, vicem scuti tenere, non belli solùm, sed etiam pacis tempore. Scutum ei prodest, qui firmiter illud retinet, sed qui facilè sinit è manibus excuti, continuò vulneratur: sic mansuetudo tuetur eum à quo tenaciter conseruatur.

FILI, recordare te mundo valedixisse, vt expedires te ab eius laqueis, & totum te vitæ spirituali, meoque cultui dederes: sed si mansuetus nō sis, neutrum obtinebis. Nam si in religione fueris subiectus iræ, in religione quoque facilè cum aliis contendes, & sic eris inquietus & perturbatus. At si fueris mansuetus; non altercaberis cum quoquam, & mansuetis responsis altercari volentes sedabis. Iuuat præterea mansuetudo, vt afficiaris ad res spiritales & cæleſtes, quæ tunc desiderio sui hominem accendunt, cū benè perspectæ sunt & exploratæ. at ira cū animam obturbet viam intelligentiæ occludit, mansuetudo verò cum reddat tranquillam tenebras excludit, & lucem ad cognoscendas res cæleſtes infert; qua illata intellectus voluntati, quod cognouit, complectendum offert.

INTER beatitudines Euangelicas mansuc-

suetudini secundum locum post paupertatē spiritus adsignaui, præmiumq; appositi terram viuentium, quæ est cælestis patria, in qua mansueti per omnem æternitatem mea præsentia perfruentur: qui sicut in hac vita eorum fui magister & exemplū mansuetudinis, sic in cælo eorundē ero merces. Agnū mansuetū me ostendi amore hominum, & insigne meum est agnus. Conuenit ergò, vt omnes qui sub signo vel vexillo hoc, nempè mansuetudinis militarunt, & propter me agni facti sunt, mecum gaudeant in cælo.

QVAM deceat religiosum esse mitem & mansuetum, quamq; dedeceat, esse iracundum, non est difficile intellectu. Status religiosus pacificus est & quietus prorsus ab indignationis contentionumq; spiritu alien⁹. In omnibus se volūtati diuinæ conformat, non queritur, nec obmurmurat de vlla re vnquam, rebus suis cōtentus viuit, & omnia quæ accidunt in bonam partem interpretatur. Hæ, aliæq; conditiones, cum sint mansuetudinis fructus sine illa consistere nequeunt. Contra, vbi iræ immoderatio regnat, non audiuntur nisi minæ, iniuriæ, clamores, vindictæ, blasphemiæ in Deum, cælites, omnesque creaturas, quæ iracundi libidini non parent. cuius actiones cum non

à ratio-

à ratione, sed à furore proficiscantur, nec bonæ sunt, nec bonum exitum habere queunt. Qua ratione ergò ira societatem inire potest cum religione, quę est quędam tranquilla perfectionis schola à mansuetudinis spiritu administrata? Quomodo religiosus vacare precibus potest, passione iræ conturbatus? Quomodo auxilio & exemplo potest esse proximo, qui ob iræ vehementiam vix est compos sui? Fili, natura tua non est serpentina, sed humana: si autem se iræ assuefaciat, sic efferata reddetur, vt virulenti serpentis instar morsu animam conuulneret.

De mortificatione religioso necessaria.

CAPVT VII.

FILI, regnum cælorũ vim patitur, & tantum violenti rapiunt illud. Si existimas expugnari cælum, vacando ocio, corpus lautè curando, sensibusq; qualescunq; illecebras indulgendo, vehemẽter falleris: neq; enim hæc scala est, qua in cælũ cõscenditur, nõ hæc arma sunt, quibus dimicatur & vincitur: sed opus est sibi ipsi vim inferre, mortificãdo sensuũ cupiditates, carni repugnãdo, quoties ad ea anhelat, quę cum instituti religiosi cõstitutionibus nõ congruũt, Hęc *Mat. 11.*

via

via est, qua in cælum tenditur. Et quamuis tu ad cælum peruenire posses, nulla antegressa cum carne tua pugna, nullisque perpessis tribulationibus, non tamen hoc optare deberes. ego enim filius Dei cælum non ante ascendi, quam multa essem passus, nec nisi per tribulationis viam eò contendere volui.

Religiosvs ergò, si expugnandum regnum cælorum proponat, necesse est tantam vim vsurpet, vt pugnare videatur pro tribus: nam qui pro tribus non pugnant, non potietur victoria. Primo autem pugnare debet, vt homo, cum enim vitam ducere debeat naturæ suæ, quæ rationis particeps est, congruentem, viuere etiam tenetur secundùm rationem: quod facere non poterit, nisi certamen suscipiat contra sensus, qui crebrò obluctantur Dominæ suæ rationi, eiusque imperium excutere conantur. Mortificatio autem est, quæ sensus rationi subiiciens, efficit vt religiosus viuat iuxta rectæ rationis normam. Secundo pugnare debet, vt Christianus, mortificationis gladio amputando omnia Christiana lege vetita itaque non solùm illi abstinendum est à rapina, hominum cæde, fornicatione, & similibus, sed etiam voluntate hæc patrandi, eò

di, eò quod vtrunque mea lege prohibeatur. Et in hoc necesse est quoque vsurpare vim quandam & mortificationem. Et enim, cum homo ob fomitem, & naturam depraua tam procliuis sit ad malum à me vetitũ, si non apprehendat gladium meæ legis, & non abscindat, vel repellat in fugam, quicquid legi aduersatur, nec poterit aliquando triumphum agere in cælo, nec in terra veri Christiani nomen tueri. Tertiò & postremò pugnare debet, vt religiosus. Religiosus, quemadmodum obstrictus est ad multò plura, quàm Christianus secularis, sic maiores & plures habet difficultates, atque ideò plus communire debet se mortificationis armis, & fortiùs cum hoste manum conserere. Vt religiosus mortificet sensus ad viuendum congruenter rationi bonum est. at vt fugiat lapsum in peccatum, ad præstanda meæ legis mandata, melius est. Verùm si præterea obstringat se ad sectandam perfectionem cum obseruatione consiliorum paupertatis, castitatis, & obedientiæ, optimum est: quia sic non modo abstinet se ab omnibus rebus illicitis, sed amore mei se etiam expoliat multis licitis & bonis, vt rerum temporalium dominio, vt matrimonio, vt gubernatione sui, suarumque

rerum,& id genus aliis. Hinc sequitur,religiosum sic debere esse mortificatum, vt ab omnibus creaturis, atque etiam à se ipso sit diuulsus,& à me solo dependeat Atque hoc est per vim rapere regnum cælorum. Fili, qui oculos corporis cõuertit in labores,qui huic certamini insunt, iudicabit esse multos & magnos,sed qui mentis oculos coniicit in cælum, facilè animaduertet non esse condignos ad futuram gloriam ibi vobis præparatam.

MORTIFICATIO aliud non est,quàm mors spiritualis, quæ religioso adimit totã vitam sensuum & cupiditatum effrenatarũ, simulque resecat actus prauos ex vita sensuali ortos : quemadmodum mors corporalis homini adimit omnes vires vitæ naturalis,eiusq; actiones. Quocirca is religiosus verè est mortificatus, qui amori proprio mortuus est, qui mortuus est sibiipsi, mortuus cupiditatibus sensuum, & vitam agit statui religionis suæ consentaneam, quod facit religiosum & spiritualem. Spiritus viuere nequit,nisi extincta prius sensualitate.

SVNT nonnulli religiosi, qui se mortificant in vna quapiam re, sed non in altera. Mortificatio, si integra non sit,& vniuersalis in omnibus, non mihi arridet, quia non

pater

patet aditus spiritui, vbi tota sensualitas non est sublata. Auicula pluribus astricta vinculis, libera non est, nec ambulare potest, si vel vno tantùm vinculo ligata maneat. Vnus defectus impedire potest religiosum, quò minus ad perfectionis culmē perueniat. Nec minus mihi displicent illi religiosi, qui initium quidem mortificandi sui faciunt, sed minima sensuum illecebra, vel socordia deterriti cursum non persequuntur. Mortificatio, quæ non durat vsque ad finem vitæ, iacturam præmij facit. Victoria non initio, sed in fine pugnæ obtinetur.

Alii sunt, qui existimant se suo officio facere satis quando eò vsque passiones prauasque inclinationes comprimunt, vt publicè, vel in conspectu aliorum nihil faciāt, quod dedeceat. Verùm hæc non est mortificatio religiosa, eò quod eiusmodi perturbationes & motus animi non verè mortificentur, sed operiantur, ne eorum germina prodeant foras. Qui radicem imperfectionum non extrahit funditus, si non germinet hodiè, germinabit cras, ac religiosus prius cessabit in rescindendo peruerso germine, quàm radix in germinando. Mihi pergrati sunt ij religiosi, qui non solùm omnia opera praua externa impediunt, verùm etiam

nituntur contrariis actibus extirpare habitus prauos, eorumq; affectus inordinatos qui sunt imperfectionum radices & fontes. Atque hæc est vera & germana mortificatio, quæ nimirum actiones prauas cum suis principiis è medio tollit. Vis riuis adimere omnem aquam, obstrue eorum fontem.

FILI, non ignoro, tibi molestum esse & graue internum & continuum hoc bellum intra carnem & spiritum, sensum & rationem. Sed scire debes hominem non esse conditum cum hac discordia. Nec in paradiso terrestri hic fuit hominis status, vbi cũ sensus obsecutus sit rationi, & homo suo creatori, summa pax fuit, & concordia Peccatum verò postquam inferiorem partem contra superiorem concitasset, hanc pacem rupit. Quod si ad hunc primum statum pacificum reuocari vis, necessaria tibi est mortificatio, cuius munus est, corpus iterum seruituti spiritus legitimi Domini sui subiicere, & sensus imperio rationis. hæc enim est via redintegrandæ amissæ pacis. Nam ad duos milites hostili odio disiunctos in concordiam reuocandos necesse est, vt vnus alteri cedat, inferior superiori. ac proindè conuenit vt corpus cedat spiritui, cum sit seruus spiritus. O quam malè intelligit rationem

tionem vocationis ſuæ religioſus, qui veram mortificationem non colit, cum experientia clarè demonſtret, vbi mortificatio non eſt, ibi regnare ſenſualitatem. Quid autem vtilium fructuum oriri poteſt ex tali radice? Quid boni facere poteſt religioſus abiectus ad ſenſuum cupiditates? Ex malis, quæ ſenſualitas parit, hoc vnum eſt, quod nunquam acquieſcat, donec religioſum in extremam animę & corporis miſeriam pertraxerit. Contra, mortificatio cohibens paſſiones intra ſuos terminos plurimum conducit religioſo ad perfectionem virtutum conſequendam. Sicut enim impoſſibile eſt peruenire ad perfectionem ſine virtutibus, ſic impoſſibile eſt, veras virtutes conſequi ſine mortificatione.

DOMINE, quicquid hactenùs dixiſti veriſſimum eſt, verùm cum homini tanta inſit turba & varietas cupiditatum inordinatarum, tot effrenatæ paſſiones, tot prauæ inclinationes, quomodo poterit miſer religioſus tot reſiſtere contrariis? quando vnquam edomare poterit tot idomitas belluas? Opus eſſet noctu diuq; ancipiti mucrone eſſe armatum. Qua de cauſa neque mirum eſt, quoſdam religioſos non ſe mortificare in omnibus, alios verò non perſeuera-

re in mortificandi ſtudio. FILI, arbitraris fortaſsè te primum eſſe eorum qui ſe dedidere exercitio mortificationis? Multi certè te anteceſſerunt, qui ſe mortificando in hac vita fortiter & gloriosè decertarunt, & nũc in cælo mortificationis fructu perfruuntur. Num item plurimi in religione viuunt mortificationi dediti, nec ſine merito ſuo, meoque gaudio in ea perſiſtunt. Neque tibi in auditum, aut durum videatur continenter eſſe armatum. Si enim hæc vita, vt benè
Iob 7. dixit meus ſeruus Iob, eſt perpetua quędam militia ſuper terram, quid aliud eſt viuere, quàm aſſiduè belligerare? Quando ciuitas aliqua eſt obſeſſa, ſi hoſtis noctu diuque inſultum in eam faciat, neceſſe eſt obſeſſos quoque noctu diuque cum illo confligere. Tu ergò ſi vis tueri ciuitatem animæ tuæ, quæ diu noctuque infeſtatur à paſſionibus hoſtibus ſuis, operæ precium eſt vt tu etiam nocte dieque cum eis manus conſeras. Et ſi ad inuadendum propugnaculum aliquod in terra cum vitę etiam diſcrimine laboratur, cur ad inuadendam arcem cæli in qua in æternum triumphabis durus tibi labor erit mortificationis? Nimis delicatum te demonſtras Miles, qui pertimeſcit labores, citò deficit. Nec debes terreri paſſio-

num

num hostilium multitudine & varietate: etsi enim tibi vires sufficientes non sint ad sustinendum earum impetum, tamen diuinæ gratiæ præsidio fultus, non poteris solum te ab earum incursu incolumem tueri, sed etiam in fugam coniicere, & penitus exstirpare. Omnes religiosi optant in hora mortis inueniri mortificati, sed paucis libet se mortificare. Si refugis mortificationem in vita, quomodo eris mortificatus in exitu vitæ? Denique præmium mortificationis est tam eximium, vt merito pro eo consequendo nulli labori quantumuis magno parci debeat. Bonus miles vt se animet ad sustinendos certaminis labores, & ad victoriam, crebrò cogitat de præmio.

De discretione, quæ religioso conueniat.

CAPVT VIII.

FILI, qui non vtitur bilance iusta facilè in ponderando errat. Sic qui in actionibus suis nõ vtitur prudentia vel discretione crebro tantos errores committit, vt nullum remedium iis sanandis vel tollendis suppeditet. Si nimium sis in castigando corpore remissus, ilicò rebellabit, & recalcitrabit. Si verò nimis in castigãdo seuerus, debilitabitur,

bitur, & sarcinam abiiciet, & animæ seruire detrectabit. Idcircò necessaria est discretio, quæ docet, quemadmodum librare bilancem oporteat, vt nec nimis in vnam partem excedat, nec nimis etiam in alteram deprimatur. Atque hic est sal, quo actiones humanæ condiendæ sunt, vt virtutum laudem retineant, mihique sint gratæ. Sæpiùs ad metam constitutam citiùs perueniunt, qui moderatè iter faciunt, quàm qui festinanter progrediuntur. Nam qui immodicè properat, si non labatur, citò fatigatur, atque ita non peruenit, aut ægrè peruenit, quo tẽdebat. At qui moderatè incedit, nec facilè labitur, nec citò defatigatur.

O quantum damnum maximè in religiosis parit indiscretio, qui in pœnitentiis faciendis, & austeritate vitæ continuanda nullo duce vtuntur nec consultore. Arbitrantur se rem mihi pergratam facere, quãdo ieiuniis, disciplinis, ciliciis & vigiliis plus æquo excruciant corpora, sed fallũtur, quia bonum quod cum discretione perficitur, virtutis laudem habet, & mihi placet: quod autem sine discretione peragitur, vitium est, & mihi displicet. Hic istorum spiritus nomen feruoris non meretur, sed potiùs indiscreti furoris, quia breui temporis interuallo

uallo sic debilitantur, vt nec sibi, nec aliis prosint. Qui in via nimium vrget equum calcaribus, sistere in ea cogitur, quod iustè permitto in pœnam superbæ indiscretionis. Nam si submitterent se Confessariorum vel Superiorum iudicio, quò securiùs in via spirituali procederent, nunquam impingerent in hæc incommoda. Pœnitentia & austeritas eiusmodi esse debet, quæ non naturam, sed vitia naturæ euertat & destruat. O quanto rectiùs facerent, quantoque gratiùs mihi foret, si eorum pœnitentiæ semper essent duarum nobilium virtutum comitatu stipatæ, humilitatis scilicet, qua se Patrum spiritualium iudicio submitterent, & Obedientiæ, qua eorum mandata præstarent. His enim ducibus securiùs in asperam pœnitentiæ viam se darent, & multò plus apud Deum promererentur. Nemo vnquã extitit bonus dux & iudex sui ipsius.

Alivm errorem committunt illorum multi, qui in via spirituali suo nituntur iudicio, nempè, quod dum modum non tenent in corpore affligendo, ordinariè soliciti non sint de extirpandis vitiis animi. Et si nulla alia re delinquerent, quam quia in via spiritus nolint dirigi ab eis, quibus ego vices gubernandi meas demandaui, nonnè

hic defectus è ſuperbia natus, vitium eſſet voluntatis periculoſiſſimum ? Quid, quæſo, prodeſſe poteſt religioſo cilicio caſtigare corpus, & in animo fouere propriam voluntatem, & affectus inordinatos ? Omitto, tales à vana gloria ſæpè impelli ad pœnitentias iſtas externas, quæ ab aliis videri poſſint, amplectendas, etiamſi moderatæ ſint, quàm ad internas, quæ non ſunt foris conſpicuæ, oculos verò meos non latent, magniſque illas æſtimo, quia apud me tanti non eſt vitę auſteritas, quanti vitiorum animæ mortificatio.

DAMNVM quoque, quod indiſcreti aliis inferunt, parui momenti non eſt. Qui enim exemplum eorum imitantur, imitantur quoque indiſcretionem, quæ vitioſa eſt, & multorum malorum cauſa. Alij animaduerſis incommodis, morbisque quos incurrerunt ij, qui nimium addicti fuêre pœnitentiis, prorſus à piis illis & ſanctis actionibus abſterrentur, veriti ne & ipſi ſanitatem lædant. Nec omnes diiudicare certò queũt, incommoda illa non ſecuta eſſe ex pœnitentiis, ſed ex indiſcretione & ſuperbia eorum, qui aliorum conſilia reſpuerunt. Qui non ſtudet auertere malum, quod ſibi, & damnum quod facit aliis, luet pœnam pro ſe & aliis. Domi-

DOMINE, cum caro vna sit ex tribus capitalibus hostibus nostris, tamque molesta, vt noctu diuq; nobis insidietur, cur eam nō vis affligi & macerari? Sæpiùs audiui vulgò dici, indulgentem nimium carni, domi nutrire hostem, eumq; ad bellum sibi inferendum stimulare. Nonnè ergò consultius esset primum illi bellum inferre, antequā insurgat in nos? Nec periculum videtur excessus in affligendo, cum sacra Scriptura dicat, *Ephes. 5.* neminem vnquam odisse suam carnem. Fili, Scriptura quoque dicit obsequium mihi *Rom. 12.* præstitum debere esse rationabile & discretum, quod præscriptos terminos non excedat. Volo quidem carnem mortificari & castigari, sed cum moderatione. Et quamuis caro sit tibi inimica, tamen meministi esse quoq; animæ instrumentum: quare sic tractari debet, vt in spiritum non insurgat, & tamen in suis actionibus animæ inseruiat. At si tu immoderatè eam excrucies, languescet & contabescet, atq; ita non modo non tibi poterit seruire, sed etiam aliorum seruitio indigebit. Ambulanti benè, fugienda sunt extrema.

NONNVLLI à dæmone palam tentantur, vt peccata peccatis accumulent, & sunt, in quos plenū sibi vsurpat dominium. Alios verò

verò, quia nondum se induerunt in eius laqueos, specie boni ad lapsum prouocat, vt cum illis proponit conueniens esse religioso si carnem omninò subigat longis vigiliis, asperis ciliciis, aliisque similibus pœnis, vti fecerunt in eremo sancti Patres, qui nunc cælestibus exultant gaudiis, & in Ecclesia militanti velut lumina quædam celebrantur. Verùm callidus hostis non proponit, vt illæ actiones sint salutares, & Deo gratæ debere exigi ad libellum discretionis, neque etiam exponit, quando vires hominum non sunt æquales, non conuenire vt omnes eadem seueritate vtantur: quod enim vni est mediocre, alteri est nimium. Sed nec patefacit, opus esse Patrum spiritalium consilio, sine quo nemo viam spiritualem ingreditur securus. Fili, quoniam dæmon te fallit per te, si nolis ab eo in tuis pœnitentiis deuotionibusq; in fraudem iudici non fidas tibiipsi.

Demvm, vt religiosus in omnibus actionibus suis sit discretus, ideò etiam congruit, quia cum sit regularis, ratio postulat vt actiones suas ad normam certam & regulam dirigat, quod est, esse discretum. Deindè omnes religiosi actiones institui debent ad gloriam meam, sed quæ gloria mea erit, si sint

si sint vitiosæ & indiscretæ? Quod mihi non placet, non conciliat mihi honorem vel gloriam. Cogita nunc fili, si indiscretio in ieiuniis, disciplinis, aliisque id genus operibus bonis mihi tantoperè displicet: quantum, putas, mihi displicebit, si religiosus indiscretus sit in sumendo cibo potuuè, in capiendo somno, similibusq; actionibus quæ ex se non sunt sanctę, sed adiaphoræ? Quantum displicebit, si in actionibus ex se prauis excedat, & sit indiscretus? Si indiscretio per se mala est, coniuncta rei malæ procul dubio peior erit, & plus mihi displicebit

DISCRETIO necessaria est, tam Superioribus, qui alios gubernant, quàm subditis, qui gubernātur. Illos discretio, quæ filia est beneuolentiæ, docet esse Patres amabiles & benignos, subditis compati, nec grauiora eis onera imponere, quam ferre queant. Hos verò docet reuereri, colere & obsequi Superiotibus. O quam mihi displicet videre subditum indiscretum erga Superiorem. Indiscretio, cum sit crudelitatis filia, & duritiæ soror, facit vt subditus affligat Superiorem declarando se difficilem in obedientia, & dissolutum in disciplina. Benè noui, quot suspiria & gemitus miserorum Superiorum ob subditorum duritiam peruenie-

ueniant ad cælum. Sed væ illis, qui occasionem præbuerint. Contemptus, qui fit Superioribus, fit mihi, meumque est illum examinare & castigare.

De indifferentia religioso necessaria.

CAPVT IX.

FILI, crebriùs audisti religionem esse scholam perfectionis, & ita est. Itaque qui eam ingrediuntur non sunt perfecti, sed desiderant ad disciplinæ religiosæ pefectionem contendere. Scholasticus, qui inire cæpit ludum litterarium, non aliud propositum habet, quàm vt latinè loquendi scribendique peritiam assequatur, & deindè ad sublimiores transeat scientias. Quod ad media attinet, quibus ad dictum finem pertingat, non dicit. Menti infigam has regulas, hic liber mihi versandus, talis prælectio audienda sed indifferens est, & iudicio magistri totum se submittit, vt legat vel audiat quicquid visum illi fuerit. Si idem religiosus non faciat in schola religionis, nunquam emendatè scribet vel loquetur, sed multos in disciplina religiosa committet errores. Id modo illi curandum est, vt aspiret ad perfectionem; circa media verò religionis propria sit indifferens, & iudicio

Superio-

Superioris relinquat, quicquid in hoc genere faciendum est. Ille autem religiosus verè indifferens est, cuius voluntas quasi in bilance constituta, non in vnam potiùs quàm in alteram partem vel rem propendet, sed parata est præstare, quod Superior imperarit.

INDIFFERENTIA est resignationis filia, & sine hac illa esse non potest. Quocirca religiosus, qui non est quo ad personam & res suas resignatus ad voluntatem meam & Superiorum, qui vices meas obeunt, non est, nec dici potest indifferens. O quam exiguam apud me colligit gratiam religiosus, qui vbi aliquid à Superiore imperatum fuerit, respondet, se promptum quidem ad præstandum, tamen malle se hoc vel illud facere; & si non concedatur conqueritur, vel obmurmurat, & aliquando etiam exequi negligit quod mandatum est. Hæc non est resignatio, nec indifferentia, sed species est contractus. Qui in acceptanda obedientia vsurpat illud, SED, vult opus suum exigua mercede remunerari. Qui ait, faciam, sed volo, vel vellem, demonstrat se nondum mortuũ sibi, nec renunciasse suæ volũtati. In seculo, cum esses tui ipsius Dñs, tractando cũ hominib', nonnè dicebas. Volo,

aut

aut vellem? quare vel tu nondum reliquisti seculum, vel seculum non reliquit te. Hoc non est aliud quàm pedem duabus imponere stapedis, & velle seruire duobus dominis. Mundus non deserit eos, à quibus prius non deseritur.

DOMINE, si sim indifferens, & promptus ad præstanda omnia quæ mihi fuerint iniuncta, quis mihi probabit id melius conuenire animæ & tranquillitati meæ? Fili, si coneris facere id, quò affectus te inclinat, quis securum re redder, id magis expedire animæ & quieti tuæ? Bonum animæ à me prouenit, idque communico illis qui coniuncti sunt Superiori, quem religioni adsignaui: Ab hoc si tu, quia indifferens non es, te separaueris, spoliabis te omnibus donis & charismatibus, quibus ornare consueui subditos per medios Superiores. Præterea, si tu sis germanus obedientiæ filius, iudicare debes melius esse quicquid Superior tuus, vbi non est peccatum, ordinauerit: & si indifferens sis, teneris promptè exequi: Si enim error aliquis commissus fuerit, is neq; tuus erit, neque tibi imputabitur, sed neque meriti tui iacturam facies. Bonus religiosus non discutit sitnè melius vel peius quòd mandatur, sed sufficit ei, si melius videatur Superiori,

Sunt

SVNT nõnulli qui ægrè adduci possunt, vt commorentur in eo loco quo obedientia eos destinare vellet, aut munus obeant, quod Superior iudicat esse conuenientiùs ad meam gloriam. Atq; ideò turbantur, nec vllam quietem vel pacem animi sentiunt; suamq; inquietudinem attribuunt vel loco, in quo degunt, vel sociis quibuscum habitant, vel officio quod obeunt, donec impetrent aliquam in illis mutationem. Sed malum difficulter curatur, cuius causa non intelligitur. Non est hæc medendi ratio idonea; origo mali indaganda, quæ est passio non mortificata ex amore proprio orta. Atque hinc est, quod religiosus non sit indifferens, nec resignatus in omnibus ad voluntatem Superioris. Existimas tu locum effecturum, vt passio inordinata, vel amor propri' tibi eximatur? Lecti mutatio ægro non adimit febrẽ, sed sępenumero adauget. Quamuis autem illa mutatio nonnihil temperet ardorem, tamen non multò post vehemẽtior redit. Haud secus accedit religioso, qui secũ causam suæ inquietudinis, nempè passionem inordinatam defert. Nisi ad hanc malam radicem admoueatur securis mortificationis, quantacunq; mutatio fiat semper efficietur deterior; quo enim malũ diu-

tiùs inhæret, hoc roboratur magis & minus indifferentem reddit. Cæterùm dic mihi, si post locum, officium que mutatum te æquè, vel amplius deprehendas, vt fieri solet, inquietum, quid ages? Optabisnè in alium migrare locum? certè non. quia id esset peregrinari sine baculo cum dispendio tuo, & prauo aliorum exemplo. vel potiùs decernes ibi te mortificare, & inquietudinis radicem euellere? At hoc æquè fieri poterat in loco, ad quem obedientia te destinarat, & factum fuisset cum ædificatione eorum qui cognouerant te non fuisse quietum, parum mortificatum, & minus indifferentem. Qui spiritum Dei non habet, ne quidem si sedem inter angelos nactus fuerit, desinet esse inquietus.

Alii contra sic affixi sunt vni loco, vt dum intelligunt Superiorē cogitare de mutatione, tententur & perturbentur. Et quod deteriùs est, cum existiment se cum fructu & cultus diuini incremento in eo degere Superiores censent imprudentes, & zelo destitutos. Vndè fit, vt si contra voluntatem suā alio amandentur, nulli functioni se ritè accommodent, turbent alios, & inquietè viuant. Fierinè potest vt tam parui fiat indifferentia, quæ est religiosi corona? Quando te

do te ad religionem vocaui, spospondinè, te me eo loco collocaturū, vbi tu velles, an vbi vellem ego? Declaras certè, quod in me colendo sensu tuo potiùs quàm meo nitaris. O miseria. Null⁹ certè religiosus est, qui nō iudicet, & confiteatur salutare esse, imò necessarium, vt seruus meus sit indifferens & resignatus: sed dum ad praxin venitur, repugnantiam sentit. Quid prodest equiti generosum habere equum, si sit intractabilis? quid iuuat famulus, licet excellens, si non sinit se regi, nec parere vult meæ voluntati?

Dic mihi fili, nonnè bonum est Christianum in rebus neque imperatis, neque vetitis esse indifferentem, & promptum ad ea præstanda, quæ illi mandauero? vt habere liberos, vel non habere, esse sano corpore vel infirmo? Sic est, cum enim eum lateat, quid conducibiliùs sit animæ saluti, meritò debet à meo pendere iudicio. Atque hoc est, esse indifferentem. Quod si verum est, vt est verissimum, cur tu religiose eligis pro tuo arbitratu potiùs hoc ministerio fungi quàm illo, in hoc loco commorari potiùs, quàm in alio? Vndè tu scis, hoc vel illud ad salutem, quietem vel perfectionem esse commodiùs? Qui indifferens non est, gubernationem reddit difficilem & laborioſam.

rioſam. Qui non eſt indifferens, nec acquieſcit iudicio Superioris, ordinariè propendet in miniſteria, ad quæ exercenda idoneus non eſt; cum nemo bonus ſit iudex in cauſa propria, propter affectionem inordinatam quæ fallit. Qui indifferens non eſt, ordinem rectæ gubernationis peruertit, quia dum non ſe accommodat Superiori, ſicut deberet, Superior cogitur ſe accommodare illi. Qui non eſt indifferens, nec ſpiritualis eſſe poteſt, nec deuotus Qui non eſt indifferens ordinariè eſt ſui capitis.

De modeſtia religioſo neceſſaria.

CAPVT X.

FILI, modeſtia religioſa eſt concio tacita, ſed valdè penetrans & efficax, quę inſtar ſagittæ peracutæ cor humanum peruadit, illudq; ſaucians miranda efficit, quoq; grauiùs infligit vulnus hoc vberiorem fructum profert, prodeſtq; non ſolùm concionis auditoribus, ſed etiam ei qui concionē habet, Etenim modeſtia fouet ſpiritum religioſi, & ſic in animo collectum, ſibiq; præſentem reddit, vt facta eius omnia ſuauiſſimum deuotionis odorem expirent: tamque eximium Religioſi hominis ornamentum eſt, vt omnibus, qui eū conſpexerint, reddat amabilem

bilem & cariſſimum. Mihi deindè interior modeſtia, ex qua naſcitur exterior tantoperè placet, vt mihi iucundũ ſit eius vti cõſuetudine. Accedit, quod religioſus modeſtus tanta autoritate ſit apud alios, vt nihil ſit, quod eis non perſuadeat. Quod ſi tam multa faciãt propter modeſtiam religioſi, quid me facere conuenit, cuius amore modeſtiam illam colit? Quid non obtineat ille à me, qui mihi eſt cariſſimus & gratiſſimus?

In aliis quoque admirandos producit effectus. Nullus in mundo tam diſſolutus eſt, & incompoſitus, qui non conſpecto religioſo modeſto non ſe colligat, ac etiam ad modeſtiam externam ſe componat: exiſtimans ſe verecundiæ leges transgredi ſi coram religioſo modeſto non ipſe quoque parem demonſtret modeſtiã. Præterea modeſtia vulnerat cor alio quodã vulnere magis ſalutari. Nimirum ſuauiter trahit alios ad deuotionem, & bonorum morum imitationem. nec ante deſerit, quàm eos perduxerit ad interioris hominis compoſitionem, in qua conſiſtit vera animi quies & pax, quò nihil eſt in hac vita præſtantiùs & optabiliùs. Modeſtia ſiquidem copioſiorem fructum affert, & efficaciùs prædicat, quàm lingua. Non eſt immunis à culpa religio-

ligiosus, qui modestia sua aliis non prædicarit.

E contra immodestia religiosi sauciat quoq; corda, sed vulnera eius magno damno afficiunt, tum ipsum cui immodestia inest, tum qui eam animaduertit. Quis vnquam religiosum immodestum & vagum vidit esse spiritualem & deuotum? Immodestiam semper comitantur impudentia, insolentia & dissolutio. Quis autem deuotionis spiritus esse potest, vbi inueniuntur vitia deuotioni tam aduersa? Immodestus non solũ non vlla valet apud alios auctoritate, sed etiam omnibus est ludibrio, & quod cò plus est, bonam suæ religionis famam & nomen aliorum virtute & modestia partam obscurat, ne dicam perdit. Adhæc immodestus nõ tantùm alios offendit, sed etiam ad dissolutionem inuitat, maximè seculares, qui facilè credunt sibi licita esse, quæ in religiosis cernunt. Nunc ergò æstima tu, qua pœna dignus sit religiosus, qui cum esset electus, vt esset sal, & lux mundi ad conseruandos suo exemplo seculares, solutis moribus suis illos inflammat ad omnem vitę petulantiam. Religiosus immodestus displicet omnibus prudentibus, & spiritalibus viris, qui prauo exemplo tam grauiter offenduntur, vt præ

vere-

verecundia rubore suffundantur. Atque hic quomodo mihi potest esse gratus, cum sit seruus meus, & degat in domo mea? Gloria Principis terreni est, si familiam habeat modestam, & omni humanitate excultam: contra verò ignominia, si moribus solutam, & lasciuam. Sic si religiosi, qui de mea familia sunt, sint modesti, id redundat in meum honorem & gloriam, contra verò in dedecus, si immodesti.

DOMINE, semper audiui te contentum esse interna hominis virtute, & corde recto. quod si verum est, non potest tibi prorsus ingratum esse, si religiosus non semper exteriùs sit in moribus compositus & modestus, modo cor sit integrum & rectum. Fili, si arbitraris me ita delectari bonitate cordis, vt nihili pendam externos mores, falleris; quia vtrumque requiro. Quamuis religiosus, qui recto animo præditus est ordinariè sit in externis moribus quoque compositus, & contra qui recto corde non est, ferè etiam exteriùs sit dissolutus. Insuper religiosus obligatus est ad ædificandum proximum, si autem tantùm corde sit rectus non poterit eum ædificare, cum solus DEVS sit inspector cordis, non proximus. necesse est ergò vt externa modestia,

ex qua iudicium ſummi poteſt internæ, ędificet. Si ergò externi religioſi mores non ſint rectè compoſiti, facilè iudicabit, internum quoque hominem malè compoſitum, atque ita loco ædificationis referent offenſionem & ſcandalum.

SVNT quidam religioſi, qui externam quidem præſeferunt modeſtiam, ſed de cupiditatibus animi refrenandis parum ſunt ſoliciti. Non eſt hæc modeſtia, quam in religioſo requiro. Si enim idcircò humilis & modeſtus videri optat, vt ab aliis laudetur, phariſaicam vſurpabit modeſtiam, quæ apud homines bono precio venditur, ſed ob precij vilitatem nullam habet remunerationem in cælo. Sin velit videri modeſtus vt ædificet, vel certè non ſcandalizet proximum, modeſtia vtitur affectata, & violenta, quæ non diu durat. Modeſtia mihi grata eſt externa illa compoſitio & decentia morum, quæ ab interna compoſitione naſcitur, cuius beneficio omnes animi cupiditates & affectiones ſunt rationi ſubiectæ. Hæc modeſtia religioſo conciliat venerandam quandam venuſtatem & decus. Hæc conueniens eſt religioſo ſtatui, illumque apud ſeculares reuerentia dignum reddit. Hæc religioſum comitatur diu noctuque,

ſiue

siue degat in Ecclesia, siue domi in cubiculo, siue dominat; siue loquatur, siue iter faciat.

FILI, optas facilè, sed efficax medium ad acquirendam modestiam? Conuersare in conspectu meo, hoc est, in omnibus actionibus tuis, siue ocultis, siue manifestis, siue noctu, siue interdiu instituantur, cogita me esse præsentem, omniumque spectatorē, sicut re vera specto. Nec dubito, quin verecundaberis in meo conspectu vel præsentia quidpiam indecorum, & statu religioso indignum peragere.

De virtute Orationis.

CAPVT XI.

FILI, verissimum est, quod quidam affirmant orationem mihi esse sacrificium, dæmonibus flagellum, & oranti subsidium. Ac sacrificium quidem, vt in odorem suauitatis offeratur, necesse est vt placeat non tam illi qui offert, quàm cui offertur. Atque ideò, quod te ad orationis studium excitet, debet esse purum desiderium placendi mihi, non autem aliis, vel tibi ipsi. Nec dubium gratissimam mihi fore orationem, si meo palato respondeat, etiamsi tu nullam ex ea caperes consolationem. Sacrificia ve-

tera fiebant, sicut ego in lege constitueram, & qui ea offerebant, à ministris non postulabant aliud, quàm vt eorum sacrificia conuenienter voluntati diuinæ instituerentur. Non sic facit dæmon, sed variis mediis conatur hoc gratum orationis sacrificium impedire. Nunc siquidem exaggerat eius difficultatem, vt eam differas. nunc prætexit tempus non esse commodum, vt eam differas, nunc fingit noxiam valetudini, vt eam contemnas. Nec mirum, quia, vt dixi, oratio est eius flagellum, & ideò maximè eam reformidat. Verùm quo magis illi exosa est, hoc religioso debet esse carior, cum sit cibus spiritualis, quo anima eius pascitur & roboratur.

ORATIONIS virtus tam grata est meo cælesti Patri, vt de cælo dilapsus mihi commendarit, vt discipulis meis modum orandi traderem, in quo voluit appellari Pater, vt omnes in suis necessitatibus magna fiducia ad eum confugerent, diuinamque bonitatem in hoc sancto orationis exercitio pariter collaudarent, & venerarentur. quod tantoperè illi placet, vt nonnunquam differat gratiam in ea postulatam, vt oratio repetatur. Mihi quoque non minus grata, quàm familiaris fuit oratio, & ideò in E-

uange-

uangelio eam laudaui, aliisque commendaui non tantùm verbis, sed etiam exemplo & factis. Et quando interdiu non licuit vacare precibus, propter prædicationis, aliorumque operum in salutem proximorum factorum laborē, noctem in iis consumpsi. O quàm grauiter delinquit religiosus, quāque strictam redditurus est aliquando Deo rationem, qui tempus à religione ad precādum destinatum aut non impendit in hoc sacro exercitio, aut non impendit, vt deberet & posset. Iam quantus pudor est, videre, dum signum datur ad alias actiones ad corpus attinentes promptè & diligenter accurri, quando verò datur ad orationem, tardè & cunctabundè? Si precum consuetarum pensum non absoluas, aut oscitāter absoluas, nonnè animaduertis te id facere cum aliarum religionum iactura, quæ tuæ religionis sunt participes? Qui religioni sibi non ducit, animam suam fructu orationis priuare, minus ducet fraudare alios. Si famulus non sit affectus ad id, quod placet Domino, multò minus Dominus affectus erit ad id, quod placet seruo.

ORATIO non est aliud, quam colloquium vel cōmercium creaturæ rationalis cū

suo

ſuo creatore, cui cum ſuas, tum alienas neceſſitates confidenter proponit, vt tanquam Pater miſericordiarum opem ferat ſuis filiis. Multum verò mihi placent illi, qui in oratione tractatur; cum Patre cæleſti, inuocant aliquem è Sanctis, quibus addicti ſunt, vt illi quoque ſuarum precum ſubſidium adiungant. Placent & illi, qui non ante orandi initium faciunt, quam gratiam benè orandi flagitarint Et qui ſuarum imperfectionum & peccatorum veniam deprecantur: hæc enim orationis fructum progreſſumque non parum iuuare ſolent. Rectè etiam faciunt, qui ad fructuosè orandum, non ſolùm aliorum omnium negotiorum cogitationes, quæ mentem diſtrahere ſolent excludunt, ſed etiã ſtudent, vt decenter ſint compoſiti, taliſque corporis ſitu vtantur, qui iuuat ad preces attentè & deuotè perſoluendas. Cum enim oratio ſit ſacrificium quod fit Deo, nihil in eo prætermitti fas eſt, vt optimè fiat.

QVIDAM non obtinent à Deo, quod in oratione poſtulauerunt, quia non poſtularunt, quod conueniens erat. Qui poſtulat noxia vel inutilia animæ, nõ poſtulat quod animæ conuenit. In oratione peti debent res bonæ & vtiles pro ſalute. Res adiaphoras,

quæ

quæ vsurpari queunt benè vel malè, vt sunt honores, opes, sanitas, peti debēt cum conditione, si sint animæ salutares. Rectiùs nouit medicus, quàm infirmus, quid eius sanitati conducat: vndè non semper præbet infirmo quod petit, vt possit dare quod conducit. Apostolo meo stimulum carnis non ademi, licet id crebriùs à me in precibus suis postulasset, quia vtiliùs ei erat illum retinere. 2. Cor. 12. Vtilius est religioso, si anima eius compleatur meritis, quàm si eius satisfiat voluntati. Qui in oratione humilis non est, vt miseriam suam agnoscat, non impetrat, quod petit, quia non petit benè. Qui non orat cum fiducia, sic vt firmiter credat me posse annuere postulatis: non consequitur gratiam, quia non orat, vt debet. Qui in oratione non perseuerat, ac postulatione semel proposita cessat, vel certè languidè perseuerat, nihil obtinet, quia non postulat benè.

SVNT alij nonnulli, qui, simulatque postulatam gratiam non impetrant, ab oratione desistunt cum suo dispendio. Ego enim constitui eos maioribus cumulare gratiis supra eam quam petunt, sed quia dilationem oderunt, omnibus excidunt. Dum ego gratiæ collationem differo, & illi in orando

rando persistunt, augescit desiderium eam obtinendi, ac vbi obtinuerint, ardentiùs eam complectuntur & conseruant. Adhæc continuant orationem, quæ est actio bona & meritoria, aptioresque se reddunt ad recipiendam optatam gratiam. Nam dum inter spem metumque recipiendi postulatam gratiam hærent, seipsos excutiunt, an occulto aliquo peccato, vel imperfectione à gratia fortè impediantur, & si næuum aliquem deprehendant pœnitudine ducuntur & purgantur, magisq; idoneos ad recipiendam gratiam se reddunt. Nonnè hæc diuersa sunt gratiarum charismata, quæ ego impertio, dum ego non ilicò postulatis facio satis? Cur ergò orationē deserūt? Multa impetrātur à Deo, ob vehemens, continuatūq; rei desideriū, ꝙ si nō esset, nec impetrarétur. Quocirca, vt loquitur Sapiens, *melior est finis orationis, quàm principiū.* Opus enim nullū perficitur, dū inchoatur, sed dū absoluitur & ad finē peruenitur. Benè dispositō De' nouit plus largiri, quā ille postulare queat.

Eccl. 7.

ALII orationem deserūt, quia aridi sunt, & omni deuotione destituti. Non est bonum hoc remedium. Si ariditas illa culpa tua accidit, vt quia nulla antegressa præparatione, & capite multis alienis cogitationibus

nibus distracto ad precandum irruis, cur idcirco abiicietur oratio? Tollatur potiùs ariditatis & distractionis causa. Qui per incuriam in saxum impingit, non ideò rescindit pedem, quia citra culpam suam impegit, nec cæptum iter intermittit, sed sedulò aduigilat, ne amplius impingat. Nec verò deserenda est oratio, cum nulla tua noxa obrepit ariditas: quia ego aliquando data opera gratiam consolationis subtraho, vt agnoscens te non esse sufficientem ex te ad obtinendam in oratione deuotionem & gustum, humilies te, & confiteare id esse ex donis quæ distribuo, quibus voluero, & quando voluero. Præterea, dic mihi, cur instituis tu orationem? Si vt tibi complaceas, non est quod aliud præmium vel stipendium præstolere, quia voluptate illa, quam sentis in oratione, abundè labor orandi compensatur. Si verò oras, vt mihi placeas, satis esse tibi debet, quod mihi probetur. Qui inuitat ad conuiuium, contentus esse debet, si conuiuæ probent epulum, etiamsi ipse nihil ex eo degustet.

ALII sunt, qui Orationem negligunt, quia in ea variis & importunis cogitationibus, scrupulisque exagitantur. Miles bonus non est, qui ad primum tubæ sonitum, vel

vel post primum hostis conspectum terga vertit. Quid tibi nocēt prauæ cogitationes, si inuito obrepant, nec optes eas retinere? Sufficit mihi, si, dum eas aduertis, excutias, & si redeant, iterum excutias, immò si toto orationis tempore nil aliud ageres, non minus mihi gratus fores, quàm si perattentè orauisses. Ac merereris amplius apud me, quàm si inter orandum magna consolatione & voluptate spirituali affectus fuisses. Bonus famulus plus voluptatis capit ex consolatione Domini, quam sua, etsi illam Domini æstimet suam. Pro scrupulis optimum antidotum est nihili eos pendere, sed tantum in orationibus propositum habere bonitatis diuinæ laudandæ. Qui rationem habet scrupulorum, multorum bonorum operum fructum perdit.

Alii, quia orationis fructum non vident, parui æstimant, ac proindè eius exercitationem velut inutilem contemnunt. Fili, bona consecutio non est, Nullum fructū in precibus facio, rectè ergò facio, nullas instituendo. Si enim fructum non facis, tuo, non orationis vitio facis; posses enim si velles, facere maximū, cum oratio sit fructuosissima. Qui instruit ignem, & longè ab eo recedit, non recipit ab eo calorem. Oratio

ignis

ignis est, ad quem si te non applicueris, nunquam incalesces. O quam grati mihi sunt religiosi, qui postquam me in precibus suis omni honore & laude prosecuti fuerint, eius beneficio vitam piè instituunt, à vitiis abhorrendo, & complectendo virtutem, de qua fuerunt in oratione meditati. Nec, si in teipso nullum efficeres fructum, ideò deberes ab orandi consuetudine discedere: nam habet illa alium fructū, qui nunquam ab ea tollitur, nempè, quod per eam mihi tuo creatori magnus honor & gloria deferatur. Quanquam bonus religiosus hic sistere non debet, sed porrò transire ad opera, sic enim maiori & veneratione, & voluptate me afficiet. Quamobrem non mihi arridet, qui in precatione sua postulat quidem virtutem, tamen postea nullam operā collocat in ea comparanda, nempè, actus eius aliquos exercendo. Hoc enim est tentare DEVM. Siquidem non id totum à me exspectandum est, quod meo fultus auxilio ipse præstare potes.

DOMINE, lege tua cautum est, vt sine intermissione & semper oremus. Quomodo autem id fieri potest, cum necesse sit, nunc dormire, nunc cibum sumere, nunc negotiari, cum quibus actionibus non possumus *Luc. 18.* *1. Thess. 5.*

simul orare. Fili, lex illa non sic intelligenda est, quasi opus sit quouis momento actu orationi vacare, Religiosus siquidē ille semper, & sine intermissione verè orat, qui statis temporibus & horis orationem habet. Ille quoque semper orare dicitur, qui quicquid agit, ad gloriam Dei refert. Adhæc vitam piam & sanctam instituere, est semper orare. Qui enim benè semper viuit, parens in omnibus secundùm vocationem suam meæ voluntati, semper orat. Atque hoc non est impossibile, nec admodum difficile, quod lex mea mandat.

De virtute Perseuerantiæ.

CAPVT XII.

FILI, omnes angeli conditi sunt in cælo, sed non omnes in eo perstiterunt. Omnes multis donis & beneficiis vna cum gratia ornati sunt, sed non omnes eam conseruarunt. nam nonnulli haud perseuerantes in felici illo statu miserè lapsi sunt, omnique fauore & beneuolentia Dei exciderunt. Qui autem perstiterunt, in gratia confirmati sunt, & beatitudine donati sempiterna. Qui suo statu, conditioneuè contentus non est, inquietus viuit, & facilè delinquit. Primi parentes tui facti sunt ex terra, sed

sed in terrestri paradiso, fuerunt variis gratiæ donis, ac speciatim innocentiæ dono locupletati. Cæterùm, postquam statu suo non contenti, voluerunt esse sicut Dij, sciẽtes bonum & malum, non modo innocentia sua exuti sunt, sed cum summa ignominia & damno exturbati ex paradiso: atque ita se, totamque posteritatem in infinitas coniecêre ærumnas. Qui ad maiora aspirat, quàm statui conueniant, illi iustè adimitur, quod accepit. O quot religiosi pereunt, quia non perseuerant: non perseuerant autem, qui contenti non sunt statu & conditione sua, quam habent in religione, ad quã eos vocaui. Et quot eorundem in pœnam inconstantiæ, animique ingrati deprehenduntur vitam in seculo agere homine indignam? quod meritò illis contingit, quia in religione vita angelica contenti non fuêre.

PERSEVERANTIA pendet à constantia, sicut à matre filia. nam qui constans est in tolerandis molestiis & laboribus, in virtutis exercitationem incidentibus, is dicitur in bono perseuerare. at vbi defecerit constantia, ibi quoque deficit perseuerantia. O quàm dedecet religiosum inconstantia in operibus bonis, qui iure vel sola cogitatione incõstantiæ deberet pudefieri.

Nec mirum, cum & secularem, qui tamen professionem sectandæ virtutis non fecit, dedeceat, si ab opere bono semel cæpto desistat. nec enim conuenit inchoare aliquod bonum, quod citra iustam causam deseratur, & imperfectum relinquatur. Quo turpiùs delinquit religiosus qui per inconstantiam suam Vocationem deserit, cum ad eam lege votorum sit obligatus, cum professionem virtutis ediderit, cum inde à conuersionis suæ initio ceperit ad perfectionem contendere. Si cæcus, aut itinerum ignarus viam bonam deserat, excusatione dignus est, at si illuminatus, & vię spiritualis ex diuturna institutione peritus, vti sunt religiosi, à recto itinere deflectat, ac per inconstantiam pristinum statum relinquat, qua excusatione vti poterit? Nec enim illa iusta excusatio est, quod queratur se non posse esse in religione quietum, & vereri ne tandem salute excidat. Conatur quidem hoc pallio suam tegere instabilitatem, sed frustra. Nec enim inquietus est, nisi quia vult esse inquietus. O quantum infelix ille fallitur, existimans se quietiorem fore in seculo, quàm sit in religione, ac facilius se posse saluari in seculo, quàm in religione: quasi in seculo nullæ essent molestiæ & cruces, nec committe-

mitterentur flagitia, aut in seculo præstantiora suppeterent remedia capessendę quietis vel salutis, quam in religione. Non ita est fili, sed hæ meræ sunt inimici impostura. Qui ad quietem & constantiam suæ vocationis aspirat, quæ est quoddam salutis pignus, sit humilis. Humilis, si aliquid durum & graue accidat, dicit. Hoc est esse religiosum: neque conturbatur, quia dignum se reputat, qui plura patiatur incommoda.

PENDET quoque perseuerantia à patientia, quæ est eius soror natu maior, sine qua perseuerantia non potest consistere. Si enim absit in perferendis aduersis casibus patientia, continuò deficit perseuerantia, quæ in tolerandis laboribus & molestiis vsque in vitæ finem consistit. Vndè dicitur, perseuerantia coronare opera, nempè, quia extremam illis confert perfectionem, sine qua essent imperfecta. Nec enim beatus est, qui bonum facit, sed est beatus, qui in bono perseuerat. Et præmium non conceditur benè operanti, sed in bono vsque ad vltimũ vitæ spiritum persistenti. Multi benè incipiunt, sed non omnes benè finiunt.

NONNVLLI in virtutis studio perseuerare detrectant, quia laborem reformidant. Nam cum reputent in animo laborem esse

rem arduam, & admodum difficilem, quàm vix sustinere queant, onus abiiciunt; qui cũ vincere possent, ab inconstantia victi succũbunt Perseuerantia autem formidinem illã temperat, efficitque vt homo in bonorum operum exercitatione, quantum opus est, fortiter persistat. Fili, si capiti imponere velis perseuerantiæ coronam, bina extrema, ei contraria, refugere oportet Alterum dicitur mollities, quæ ob difficultates quasdam in virtutis exercitio occurrentes facilè cedit & tergiuersatur. Alterum est, pertinacia, quæ suo iudicio plus æquo adhæresci. At perseuerantia, quæ medium obtinet, neque permittit opus bonum semel inchoatum difficultate vlla retardari, neque longiùs protrahi, quam ratio postularit.

DOMINE, sæpenumerò audiui, perseuerantiam in bono tuum esse donum, nec illud posse haberi, nisi beneficio tuo; te autẽ illud conferre, quibus placuerit tibi esse cõferendum. Si ita est, ab omni culpa immunes videntur, quotquot non perseuerant in bono opere inchoato; possunt enim purgãdi sui causa dicere, se non accepisse donum perseuerantiæ. Fili, verum est, perseuerantiã in bono opere esse donum meum. Verùm tu es obligatus ad habendum firmum propositum

positum perseuerandi in bono, velut re ad salutem tuam necessaria, atque in tua potestate est propositū illud repellere, vel etiam, adiuuante mea gratia, retinere. Neq; quoniam à me perseuerantiæ donum profectū est, idcircò desponderе animum debes. Expleas gnauiter omnes muneris tui partes, & ego meis partibus in impertienda tibi gratia non deero.

AGE dic mihi fili, quid in statu religioso sit, quod te à perseuerātia absterrere possit? An fortè molestiæ & labores religionis? aut quia minus ibi suppetūt corpori necessaria? At nihil horum, sed nec alia omnia iustam causam præbere queunt religioso proposito deserēdi. Ego indè ab ortus mei initio vsque ad mortem multa perpessus sum incommoda, & labores in singulos vitæ meæ annos creuerunt. Quod si ego amore tui incensus perstiti in deportanda laborū cruce vsq; ad mortem, cur non tu vicissim amore mei perseueres in bono, quod speciali mea inspiratione adducte delegisti? cur sine causa deseras, ad quod spōtè te obligasti? Vide fili, quæ sentētia de hac re sit denūciata. Nō incipientibus, sed ad mortē vsq; perseuerātib' salus addicitur. Vide, iam esse definitū, non esse aptū regno cælorū, qui manu ad aratrū semel

Mat. 10. Luc. 9.

semel missa, respicit retrò. Aduerte, dæmonem ingredi cum tua voluntate, vt te educat postea cum sua. Religionis iugum fingit esse graue, vt apostatare te faciat, & ad signa sua pertrahat. Graue non est, quicquid amore Dei toleratur. Et quamuis vitam hanc traducere posses sine laboribus & cruce, tamen id genus vitæ probandum tibi non esset, quia ego Dominus tuus semper cum laboribus & cruce vitam duxi.

QVI non perseuerat in operibus bonis, iniuria me afficit, quia bona illa inspiraui. Qui sine iusta causa negligit perseuerare in statu, quem illi adsignaui, rem gratam facit dæmoni, quia se assimilat illi, vtpotè qui ex statu angelico delapsus est ad diabolicum.

Qui per inconstantiam bonum inchoatum deserit, factū ipsum destruit, & ignorat, an melius aliquid facturus sit.

FINIS.

LIBER

LIBER QVARTVS.

DE PERFECTIONE RELIGIOSA.

In quo agitur de actionibus spiritualibus religiosi, ex quibus intelligi potest quantos progressus in perfectione comparanda fecerit.

Religiosum non debere grauiter ferre, si ab aliis contemnatur.

CAPVT I.

ILLI, cur tantoperè afflige-ris & turbaris, quando animaduertis te apud alios nō magni fieri? qua de causa tanto studio aucuparis honorem & nominis existimationem? Ingressusnè es religionem, vt in magno precio esses apud alios, an potiùs vt securiùs ad vitā æternam peruenires? Mundonè renunciasti, vt placeres hominibus, an verò vt seruires & placeres mihi? Si renunciasti, vt mihi placeres, quid tua interest, si nullo loco sis

apud alios? An arbitraris hac opinione vel impediri animæ tuæ salutem, aut cultū diuinum, quem mihi impendere voluisti? Nequaquam certè. Si quippiam reformidandū esset, id verēdū foret, ne existimatio humana tibi perniciem afferret, cū dicat Apostolus. Si adhuc placeret hominibus, se seruum Dei non futurū. Fili, si benè perpendas; qui non magni te facit, est tibi admodum vtilis, quia iuuat te, vt separeris à mundo, & ad me vitæ æternæ collatorem perfugium habeas. Qui te in delitiis habet & collaudat, viam ad salutē tibi præcludit. Et idcircò antiqui mei serui, qui in suis religionibus olim floruerunt, exultabant, si quando ab aliis contemnebantur; contra verò dolebant, si plus æquo extollerentur. Atque idem hodiè factitant omnes religiosi, qui verò spiritu prēditi sunt. Qui in exilio degit, parui facere debet alios, modo in gratia & fauore illius existat, à quo iuuari potest.

Gal. 1.

PRIMA elementa à religioso ediscenda sunt hæc. Se contemnere, optare non magni fieri ab aliis, seipsum abnegare, indignum se quacunque laude reputare, facere benè, & tractari malè. Citra horum elementorum praxin nullus religiosus in disciplina spirituali progressum facere potest.

Itaque

Itaque si post annos aliquot in religione exactos, adhuc aucuparis honores, & magni nominis existimationem signũ est, te nondum primis elementis, quæ in religionis schola traduntur, imbutum, qua ratione ergò procedes in spiritu? Quid mirum te contristari, quando honor tibi non defertur? Si vis animo omnem mœrorem eximere, incipe ex animo te ipse nihili æstimare: quia qui semel se contempserit, nullum sentiet ex aliorum contemptu fastidium. Quo opinionem de te maiorem habes, hoc excruciabere amplius, quando ab aliis debitus tibi honor non deferetur.

Dic mihi, nonnè peius est contemptum esse, quàm non esse in precio habitum? & nonnè maiore pudore suffunditur, qui dedecorè afficitur, quàm qui debito honore spoliatur? Sic est profectò. Tu non sis magno in precio fortè habitus: at ego sum ab aliis despectus & irrisus. Tibi honor debitus detractus sit: ego autem, caput tuum, pro te summa ignominia exceptus sum. Tu fortè ab hostibus tuis humaniter acceptus non sis: at ego malè tractatus sum etiam ab iis, in quos multa contuleram beneficia. Quod si ego Dominus, Caput & Magister tuus patienter tãtas iniurias iniustè illatas sustinui,

cur

cur tu animo deiiceris, si quando non tantus, quantum optares, honor tibi defertur? Visnè superior esse tuo Domino & Magistro? Conuenirenè tibi videtur vt sub capite spinoso & ignominiosè tractato, membra lateant delicata & honorificè tractata? Quo quis amplius renuit contemni, hoc suo Domino dissimilior est, quique non dat operam, vt sit ei similis in terra, non habebit cum eo partem in cælo.

HONOR est virtutis præmium. Si vis honore affici, necesse est, te esse virtute præditum; alioquin optares tibi deferri, quod tibi non debetur, & qui deferret potiùs adulator tuus foret, quàm laudator. Quæ verò virtus in te est, ob quam existimas te laude & veneratione dignum? Vera virtus abesse non potest ab humilitate, quæ omnium religiosarum virtutum est fundamentum. Si humilitas in te ergò non sit, multò minus erit vera virtus. Si autem inest tibi humilitas, & verè sis humilis, quomodo fieri potest vt cupidus sis honoris, cum humilitatis proprium sit fugere honores, laudesque humanas? Qui humilitatem colit, desiderat ab omnibus sperni, & gaudet se in precio non haberi. Deindè, quod illustre facinus designasti, vndè tantam nominis famam venari potu-

potuisti? Vel certè, quid amore mei perpessus es, vt remuneratione mea dignus sis in hac vita? Certè nec dum profudisti sanguinem pro me. nec in vincula coniectus es, non per vias ignominiosè tractus, non in crucem actus, sicut ego pro causa tua. Atq; vt omnia hæc perpessus fuisses propter me, tamen gratiæ meæ præsidio indiguisses, sine qua nihil boni fieri potest, atque ita laus omnis in me potiùs, quàm in te redundasset. Verum esto, feceris multa opera pręmio digna; putasnè tu consultum talia præstare vt illa remunerentur humano honore in hac vita, hoc est, viliſſimo precio, si conferatur cum diuinis honoribus in cælo paratis? Qui operum bonorum, quæ facit, laudem quærit in hac vita, nullam habet expectare mercedem in altera.

Fili, nunquam curabere hoc malo, si causam eius non inueneris. Causa proxima est, magnifica de se opinio. vndè persuades tibi te esse honore dignum, magnaque te afficere iniuria, qui eam opinionem de te non habuerit. Atque hinc est dolor quem sentis, quando alij non te magni faciunt. Sed expendamus rogo, quid tandem in te sit tuum, vnde promerearis honores & titulos? Primum enim quicquid habes, à me accepi-

accepisti, atque ego idem conseruo, & si minimo momento manum meam subtraherem, redigereris in nihilum. Si quicquid boni tibi inest meum est, certè & honor omnis debetur mihi, non tibi. miseriæ autem & imperfectiones, ac peccata sunt tua, ob quæ an laude dignus sis, & non potiùs dedecore, tu videris. O quàm multi religiosi falluntur existimatione quam de se habent, eiusque volunt esse iudices & arbitri. Dum enim iudicant se honore dignos, & tamen animaduertunt se neque apud Superiores, neque apud alios magnam collegisse nominis existimationem, vehementer anguntur & tristantur. Qui fundamentum malè collocat, peius superædificat. Fili, nondum benè cognoscis teipsum, & ideò bonus iudex esse non potes, nec rectè de te iudicare. Si benè te cognosceres, tam fragili fundamento non tam magnificum ędificium imponeres. Vt aliquis laudibus celebretur, & in magna veneratione habeatur, necesse est vt opinio & existimatio prius non in honorandi, sed honorantium mente de eius excellentia & dignitate existat. Si autem hi nullam in te virtutem conspiciant, sed imperfectiones potiùs, & leuitates, quomodo possunt bonam de te habere opinionem, &

laudes

laudes tuas celebrare? Opera bona efficiunt opinionem bonam, & non desiderium eius, qui laudis cupidus est.

OPTAS videre, quàm longè in hac re absis à veritate? Considera, quod tibi iam sum dicturus. Vel mortuus es mundo, vel non es. Si non es, non vales pro religione, nec religio pro te; hæc enim nullos alios recipit & probat, nisi qui toto corde vanitatibus mundi renuntiarunt. & hoc est, esse mũdo mortuũ. Inter vanitates autẽ mundi vna est, ambire laudes, & optare magni æstimari. Si verò mortuus es mundo, cur vis esse in precio apud illum? Mortuus non curat, ponaturnè ad dextram, vel ad sinistram, in loco honorato, vel non honorato, aperiatur sibi caput, vel non aperiatur. Si verò tu ambis honoratiorem locum, si nobile officium, si vis, vt alij tibi cedant, quomodo mortuus es? Nec satis est mihi, si dicas te honorem expetere ob gloriam & honorem meum, vt maiorem apud homines obtineas auctoritatem, eaque fretus plus auxilij in eos conferre possis. Si enim sic esset, id meo non tuo muneri procurandum incumberet, ac si necesse fuerit, non deero officio meo. Interim honor meus, & gloria mea est, si

tu sis

tu sis humilis, & si quando vilipendaris, non molestè feras: sic enim similis eris mihi, vives in religione quietus, & mercedem obtinebis in cælis. Noris autem, cupidum esse laudum, non esse viam ad alios iuuandos, sed sectatorem esse humilitatis, caritatis, aliarumque virtutum, ac inprimis si ab omni ambitione & auaritia alieniſſimus sis, & bonum exemplum aliis præbeas.

Religiosum non debere esse commodorum corporis plus æquo studiosum.

CAPVT II.

FILI, blandiri amico, & commoditatem illi prębere benè faciendi, est admodum conueniens & laudabile. Sed blandiri inimico æternum tibi exitium molienti, & opportunitatem illi dare malè agendi, est admodum absurdum & detestabile. Non autem ignoras, è tribus capitalibus inimicis tuis vnum esse tuum corpus. Perspectum quoque habes carnem tuam, si non castigetur, sic reddi ferocem, vt perdere velit animam. Qua, quæso, lege præscribitur, vt religiosus abblandiatur corpori, qui obligatus est illud freno coercëre, & mortificare? Qua ratione commodis corporis studeat religiosus,

gioſus, qui exploratum habet, quo plus illi blanditur, hoc magis inſoleſcere? Apoſtolus meus caſtigando corpus ſuum, & durè tractando, reuocauit illud ad debitam ſeruitutem ſpiritus. Qui ergò nimis multa illi commoda ſuppeditat, cauſam dat vt rebellet contra ſpiritum. 1. Cor. 9

DOMINE, non feciſti nos corporis noſtri Dominos, vt poſſimus illud occidere vel mutilare: imò imperaſti nobis, vt incolumitatem eius, quoad poſſumus, tueamur; poterimus ergò ea commoda procurare, quæ ad ſanitatem conſeruandam faciunt; eoque amplius, quod non animam ſolùm, ſed etiam corpus ad tuum diuinum cultum peragendum adhibeamus.

FILI, vt religioſus per congruentia media ſuam ſanitatem ad cultum meum perficiendum tueatur, vehementer mihi placet: ſed hoc diſplicet, quod prætextu ſeruandæ ſanitatis nimium indulgeatur corpori. Mihi non arridet religioſus, qui vult vſurpare partes Medici, ipſeque iudicare, quid vtile vel noxium ſit ſuæ ſanitati. Hinc enim fit, vt quicquid palato eius arridet, illi ſit ſalutare: & quicquid guſtui non placet, ſit noxium ad ſanitatem. Nec minus me offendit, quod addit id facere ſe ad maius meum ſeruitiũ.

Certè id non est seruire mihi, sed seruire suo gustui & sensualitati. Seruitium meum est, quando vnusquisque carnem suam mortificat, quantum conuenit. O quot religiosi sanitatis tuendæ prætextu, serui fiunt suarum cupiditatum? sanitas melius conseruatur parsimonia, & moderatione, quàm procuratione rerum ad gustatum pertinentium. Imò hac via læditur sanitas, quia semper in rebus quæ voluptatem afferunt, fit excessus. Obligatio deindè religiosi propria est, corpori tantum indulgere, quantum opus est ad vitam, & non quæ ad titillandam carnem.

Si religiosus diligenter expenderet, vndè oriatur illa tanta solicitudo, quam de se, suoque corpore gerit, non esset tam anxius vel importunus in commodis corporis sectandis. In quibusdam oritur ex superuacanea cõmiseratione erga seipsos, quia optarent illud aliqua voluptate afficere. In aliis verò, ex magnifica existimatione quam de se habent, quia enim credunt magni referre reipub. si diu in viuis perseuerent, toti sunt in tuenda corporis valetudine. Vtraq; autem, & commiseratio, & existimatio sunt amoris proprij filiæ. Quis verò fructus nasci potest ex tam pernicioſa radice? Cogitan

fortè isti, sublatis ipsis interituram meam Ecclesiam, vel suam religionem? Falluntur prorsus. Multę alię columnæ collapsæ sunt, & nihilominùs tam Ecclesia, quàm religio statum suum retinent. Mihi incumbit vtramque & conseruare, & bonis instruere operariis. Ego spondeo, religionem, sublatis huiusmodi hominibus, non solùm non pessum ituram, sed etiam incrementū sumpturam: quia ferè ij, qui minus laborarunt in religione, eandemque diuexarunt, sunt illi, qui nimium commodis corporis dediti fuêre. Atque hi sunt, qui prauo suo exemplo religiones labefactant.

QVANDO tu religioni nomen dedisti, nonnè id feciſti animo multa patiendi pro animæ tuæ salute, meique amore? nonnè constituisti pauperem vitam agere, omniaque incomoda, quæ pauperibus eueniunt, tolerare? Cur ergò nunc, cum maiori luce deberes esse illustratus, ardentioreq; caritate inflamatus, illas primas cogitationes operibus ipsis nō præstas? O impostura ingēs. Religio ad macerādū corp⁹, & ad animā spiritalib⁹ opibus locupletandā instituta est, & tu in ea comodis corporis, neglecta animæ salute, existimas opā dandā? dic age, in seculo comodis corporalib⁹ abūdabas, nec ne?

Si non, cur in religione, quàm incommodorum sustinendorum pro Christi nomine causa es ingressus, ea requires? Si verò abundabas, iisque te amore mei vltro spoliasti, vt plus mihi placeres, cur nunc in religione ea iam deserta repetis cum mea offensione, & prauo aliorum exemplo? Præterea, si amore mei commoditatibus corporis renũciasti, nunc cum illas repetis, clarè ostendis te ab amore mei discedere? Quanti autem à me faciendus est, amor tam caducus & inconstans? Quod si fortè putas te saluo amore mei posse simul inhiare commodis temporalibus contra meam voluntatem, vehementer deciperis, quia verè amare non potest, qui non se amati voluntati conformat.

Fili, aues intelligere, quemadmodum me meumque corpus tractarim, percurre vitam meam à primo ortu vsq; ad mortem, & facilè deprehendes, quàm mihi exigua suppeditarint commoda. Nam simulatque in lucem editus fui, stabulum mihi fuit cubile, lectus præsepe. Paulò post verò ob Herodis persecutionem coactus sum fugere in Ægyptum. Et perpende tu, quæ commoda se mihi obtulerint tum in itinere illo, tum in solo externo & barbaro, cum matrem habuerim inopem, quæ etiam in nocturnis tenebris,

nebris, quamprimùm certior reddita est, in viam se dare debuit. Reuersus deindè ex Aegypto reliquam vitam in paupertate transegi. Anno trigesimo ætatis recepi me in desertum, vbi fame, siti, vigiliis, & quadraginta dierum noctium que ieiunio, ac humi cubatione corpus meum afflixi. Deserto egressus pedes oppida & castella regni cælestis annunciandi causa percurri, & ex eleemosynis aliorum perpetuo vixi. Passionis tempore non solùm nulla mihi fuêre commoda, sed vna afflictio aliam excepit. Deniq; morienti crux fuit lectus, & corona spinea puluinus. Iudica nunc religiose, an conueniat te seruum meum qui professionem me imitãdi feciſti, molliter tractare corpus tuum, postquam ego Dominus tuus meum tractaui tam asperè? Et quamuis meum corpus semper fuerit animę subiectũ, & rationi obsequentissimum, tamen nunquam illud vllis lautitiis excepi, nullis commodis vel recreationibus oblectaui Quomodo ergò tu corpori tuo, quod toties spiritui & rationi temerè insultauit, omnis generis illecebras indulgebis? Ego Dominus maiestatis semper contentus fui tenui victu & vestitu', & tu in religione non contentus communibus affectabis superflua? Hoc non est esse,

vel vitam agere religiosi, sed potiùs habitu religionis vitam secularem obtegere.

NIMIA rerum temporalium solicitudo, spina est nimium pungens, & grandi damno religiosum afficiens Inprimis enim facit eum procuratorem, immò mancipium sui corporis Quis verò non videt indignum esse, vt religiosus ex corporis castigatore, fiat eiusdem procurator, & verberum loco, illi lautitias omnes subministret? Deindè tam animo distractū detinet, vt nullam è rebus spiritalibus capiat voluptatem. Et quid hoc est aliud, quàm facere illum animalem, qui non gustet, vel sapiat quæ Dei sunt? Adhæc reddit eum asperum in socios quibuscum viuit, quia in omnibus semper vult quod prçstantiùs sibiçque commodiùs est, posthabitis aliorum commoditatibus. immò priuata sua cōmoda anteponit communibus, nihil pensi habens quid damni in religionem redundet, modo ipse voto suo potiatur. Quid autem hoc est, nisi religiosum exuere caritate & discretione? Neque hic finem facit importuna corporis cura, sed supra hæc religiosum reddit querulum, ocioſum, murmuratorem, & peruersi exempli. Vult omnes commiseratione sui moueri, omnes beneuolentiam sibi ostendere, &

idcirco

idcircò minimam quamque inualetudinem corporis attribuit laboribus in religione exantlatis. At quomodo in talibus potest esse vel spiritus, vel religiosa disciplina? O infelices subditos, nec minus infelices Superiores, qui hæc in religione, cuius ipsi sunt pastores permittunt, cum hoc non sit aliud quàm peste quadam illam inficere, & iuuenibus demonstrare viam ad eã prorsus labefactandam.

Non satis esse religioso corpus refrenare, nisi & anima coerceatur.

CAPVT III.

FILI, quod religiosus ita cohibeat corpus suum, eiusque sensus, vt non insolescant, vel insurgant aduersus animam, bonum & salutare est, sed non consistit in eo religiosa perfectio, sed potiùs in internis animi virtutibus, ex quibus proficiscitur reformatio passionum & sensuum. Nec corpus ab anima dirigi potest, nisi prius anima ipsa cum suis facultatibus fuerit ad rectam normam reuocata. Regula inflexa non valet ad alias res dirigendas. Tunc verò anima est ad rectam

normam directa, quando conformata est voluntati diuinæ, quæ est prima & infallibilis regula. Mortificet aliquis carnem suã, quantum libet, eamque quoad fieri potest teneat subiectam, si animi affectus non sint ad normam certam reuocati, nunquam aspirabit ad eam tranquillitatem, quæ ad comparandam perfectionem est necessaria. Affectus quoque ad moderationem reduci non queunt, nisi prius eodem reducuntur eorum principia, à quibus oriuntur, id est, intellectus, & voluntas.

NOSTI intellectum esse supremam hominis potentiam vel facultatem, à qua omnis harmonia & moderatio cæterarum facultatum pendet. Voluntas non intelligit, & ideò operari nequit, nisi adiuta luce & cognitione intellectus. Reliquæ facultates inferiores, quæ exequuntur quicquid ordinatũ est à superioribus, pendent quoque ab intellectu, quippe qui quid agendũ sit illis demonstret. Quod si intellectus non fuerit ad æquitatem suam redactus, totus hominis interioris, exteriorisque status disiicitur & turbatur. Intellectũ quidem præcipuè peruertit iudicium proprium, à quo sic excæcatur, vt perperam ratiocinationes suas instituat, & prius conclusiones suas inde edu-

de educat. Vndè si tu intellectum ad iustam moderationem reuocare velis, necesse est, vt illi adimas proprium iudicium. Proprium iudicium voco illud tuum opinari, tuum propositum, tuam sententiam, quæ cum meo tuorumque Superiorum iudicio non congruit, & ideò propriè est tua, tibique peculiaris, à communi tuorum maiorum, sapientum, & virtute præditorum iudicio dissentiens. Cum igitur hoc iudicium tuũ non sit consentaneum meo, hoc est primæ & nunquam fallenti regulæ, rectum & bonum esse non potest. Quæ enim vel rectitudo vel bonitas eius esse potest, quod nascitur ex superba præsumptione? Dum tu proprio niteris iudicio, non modo illud anteponis aliorum iudicio, sed etiam existimas illud præstare aliorum iudiciis, omnes hallucinari te excepto, neminem intelligere rem, nisi te, vnde & animo efferris, cæterosque tanquam hebetes & minus intelligentes aspernaris nonnè hæc luculenta est præsumptio & superbia? Quid verò deteriùs esse potest, quàm arroganter se omnibus anteferre? Hinc venit, vt tuo iudicio plus æquo addictus, in deliberationibus tuis nullum des locum aliorum consiliis: quod non est aliud, quàm facere te obstinatum, proteruũ

& pertinacem. Quis iam miretur, si fraudibus & imposturis diabolicis sis obnoxiùs? Si in grauissimos labaris errores? Vndè enim ortæ sunt hæreses, schismata, sectæ, discordiæ, aliæque innumeræ turbationes, quæ olim fuere, & nunc sunt in mundo, nisi ab hominibus nimium ingenio iudicioque suo præsidentibus? Iudicium proprium quo tibi cariùs est, hoc maiori damno te afficit, diuellit te siquidem à tuis Superioribus, facit vt videare sapiens in oculis tuis, vt tibi plus æquo fidas, vt citò ad fastigium superbiæ peruenias, ac denique vt te præcipitem agat in eam cogitationis foueam, quo putes te nullo in via spirituali duce indigere. O quanto intelligentior, sapientiorque est religiosus, qui iudicio Superioris vtitur tanquam suo, nec aliud quærit. nam hoc modo satisfacit mihi, in cælo accumulat meritum, & tranquillam vitam, qua nihil iucundiùs est, agit in terris.

ALIVD quod turbat & peruertit intellectum est curiositas res diuinas intelligendi. Nam cum intellectus natura procliuis sit ad res intelligendas, si curiositatis calcaribus præterea stimuletur, per tot ignotas vagabitur nationes, vt se ipse tandem

dem perdat Res diuinæ intelligentiam humanã longè excedunt, & ideò comprehendere eas nequit, qui ergò curiosè volet earũ indagare mysteria, facilè à lucis immensitate offuscabitur. Si enim corporei oculi citra visus iacturam non possunt defigere aciem in lucem solis, qua ratione vis tu intelligentiam humanam natura finitam, & limitibus circumscriptam posse inaccessibilem illam Dei lucẽ, quæ infinita est, capere? Qui grauat se onere viribus suis impari, meritò ab onere opprimitur. Deus non foret Deus, si ab intellectu creato comprehendi posset. Desideras sapienter tractare res diuinas, applica te ad virtutem fidei, nec aliud quære. hæc enim breuissimo tempore, & certissimè docebit te quicquid necessarium est ad salutem æternam. Tolle quoque è medio curiositatem cognoscendi, quæ ad Superiores, aliosque ad te non attinentes, spectant; quia plurimum te perturbant, atq; etiam impediunt, quò minus ad moderationem iustam intellectus peruenias. Quid opus est te aliorum defectibus intelligendis operam dare, cum sufficere tibi debeat, si cognoscas tuos, quos si probè cognoscas & sedulò corrigas, non exiguum operæ precium facies.

Curio-

Curiositatis hoc vitium est, stimulare ad explscandas res alienas, & obliuiſci proprias.

Est & alius defectus intellectus, nempè temerè iudicare, qui nisi tollatur non potest dici Intellectus ad normam iustam redactus. Contingit autem hic defectus, quando sine causa, nullis antegressis indictis indubitatum iudicium de aliorum factis pronunciatur. Quod si verò etiam quis intentionem alicuius in malam partem interpretetur, cum possit in bonam, vel etiam excusare, eiusmodi iudicium valdè pernicioſum est suo autori, quia & caritas, & iustitia læditur Si iudex non sis interioris hominis, nec eum cognoscis, cur audes eum iudicare? Ego solus sum scrutator humanorum cordium. mihi soli perspecta est vniuscuiusq; intentio, & idcircò mihi soli munus iudicandi deferendum.

Ad dirigendam deindè voluntatem, opus est tribus inprimis mederi defectibus, non minus fastidioſis, quàm periculoſis. Primus est, quod voluntas natura sua sit cæca & mille lapsibus obnoxia. Alter est, cum sit libera, vagari potest quocunque libuerit, siue rectam, siue malam viam teneat. Quatenus cæca est, ne aberret, & labatur, opus habet duce. Quatenus libera verò, ne fines

ratio-

rationis excedat, indiget fræno. Dux erit voluntas diuina, ab iis declarata, qui vices meas in gubernatione obeunt. Frenum erit diuinæ iustitiæ timor, qui illam itinere recto & securo deducet. O felicem religiosum, qui tali freno circumductus tam fidum sequitur ducem.

TERTIVS defectus est, quod voluntas soleat esse suiipsius proprietaria, quo nisi liberetur, non poterit in ordinem redigi. Religiosum esse, & propriam voluntatem retinere, vna consistere nequeunt. Is enim verus religiosus dicitur, qui cum cruce sua sequitur me. Iam autem in sacra mea Scriptura decretum est, neminem posse sequi me nisi abneget seipsum & propriam voluntatem deserat. *Mat. 26.*

DOMINE, estnè ergò propria voluntas, si feratur in res pias & salutares, deserenda? Fili, quicquid propria voluntate desideras, debes relinquere, siue temporale sit, siue spirituale. Voluntatem propriam appello illam, quæ non consentit cum mea, vel tuorum Superiorum, ac propriè tua est. & quia à mea discordat, bona esse non potest. Voluntas propria est, quæ mihi indicit bellum, hanc horreo, hanc odi, hanc fundaui in inferno, hanc infernus fouet, & hæc sola in illo scue-

lo seueriſſimè punitur. O dementem religioſum, qui pluris ſuam, quàm diuinam voluntatem facit. Non ſic ego feci. Quando mea humanitas refugiebat bibere amarum paſſionis calicē, dixi Patri cæleſti, *Non mea, ſed tua voluntas fiat* Si ego ergò in hac vita
Mat. 26. non volui voluntatem meam facere, videturnè tibi, decere vt facias tuam? An exiſtimas conueniens eſſe, vt tuam voluntatem anteferas Creatoris tui, maiorumque tuorum voluntati? Qui plus æquo ſe extollit magni ſuam voluntatem æſtimando, lapſu quoque grauiore in ſuum exitium ruet.

Religioſo exuendum eſſe immoderatum affectum in parentes.

CAPVT IV.

FILI, niſi oblitus fueris populi tui, & domus patris tui, ego nō amplectar te, nec tecum familiariter agam. Non ſatis eſt ſemel renunciaſſe mundo & parentibus, vti feciſti initio tuæ conuerſionis: ſed vt ad gradum perfectionis tibi propoſitum pertingas, neceſſarium eſt vt in eadem renuntiatione vſque ad finem vitæ perſiſtas Parū vel nihil prodeſt captiuo egreſſum eſſe portam carceris, niſi & compedes quibus aſtrictus

ctus fuerat in carcere excutiat. Sic parum tibi proderit paterna deseruisse limina, nisi affectum immoderatū ad parentes amputaris. hic siquidem affectus ita te astrictum tenet, vt obliuiſci eorum nequeas.

Mat. 19.

VERVM est, me in sacra Scriptura centuplum cum vita æterna religiosis addixisse, sed iis, qui amore mihi seruiendi reliquerint patrem & matrem, ac quicquid in mūdo possidebāt. Verum est, me esse magistrū, & docere, sed indè ab initio protestatus sū, neminem posse esse discipulum meum, qui non oderit patrem & matrem, vitam propriam, & quicquid à profectu spirituali retardare potest. Non est bonus discipulus, nec proficere potest, qui non est attentus ad ea quæ in schola præleguntur. Lectio quam ego auditoribus meis trado, est, vt moriantur mundo, vt subigant animi perturbationes, quæ hominem inquietum reddunt, vt carnali in parentes affectu se exuant, ne via ad perfectionem intercludatur. An non experiris tu, nimiam affectionem qua complecteris tuos, te reddere inquietum? an nō vides eandem quoque aliis esse grauem & molestam? non aduertis, te dum de illis solicitus es, in tui obliuionem venire? Quod certè non est inire meam scholam,

sed

sed potiùs ex ea fugere. Si mortuus es mundo, cur te adhuc angit parentum cura? Si tantum viuis mihi, sicut debes, cur mihi nõ es coniunctus, meque loco patris, matris, omniumque aliarum rerum complecteris? O quàm egregiè hoc intellexit dilectus religiosusque seruus meus, qui toto pectore dicebat. *Deus meus & omnia.* aliique sancti religiosi, qui ne occasionem vllam haberét agendi cum parentibus secedebant in remotissimas solitudines, & veluti mundo mortui se in subterraneis specubus quasi in sepulcris abdebant.

S. Franciscus.

DOMINE, nonnè in sancta tua lege mãdasti diligendos proximos, immò & inimicos, eorumq; inopiæ subueniendum? Quomodo ergò nunc exigis, vt parentes, qui primum locum inter proximos tenent deseramus, & odio prosequamur? Fili, non nego diligendos esse parentes, & amicos quos deseruisti in seculo, sed diligendi sunt affectu spirituali, eoque amore quem ordinata caritas postulat. iam autem non ignoras, te tibi ipsi proximiorem esse, quàm amicis & parentibus: caritas autem requirit, vt sic eos diligas, vt tamẽ nullum spirituale damnum facias tibi propter illos. Quod si ergò perturbent te in religione, & in meo cultu in-

inquietent, atq; etiam profectum spiritualem impediant, cur non sint à te deserendi? cur non longiùs recedas ab illis? Deindè nonnè eos parentes, qui tibi aduersantur, & malint te extra religionem viuere, atq; etiam laborant vt ab ea te retrahant, odisse teneris, & fugere tanquam dæmonis operarios? Non debet tibi parentis vel amici esse loco, qui conatur animã tuam in salutis discrimen coniicere. Non sunt illi tui proximi, nec sunt etiam ex inimicis corporalibus, quos lex Christiana vult diligendos, sed sunt inimici tui spiritualis boni, sunt inimici honoris & gloriæ meæ, & vt breui comprehendam, sunt hami inferni.

QVANDO autem opus sit succurrere eorum necessitati tam corporali, quàm spirituali, quo modo, & quantum, id tibi a Superioribus cognoscendum est. Scias autem Dæmonem ficta caritatis pietatisq; in parentes specie multos ex felici religionis statu exturbasse. Nullus religiosus, nisi sit plus quàm mortificatus, & plus quàm mundo, amoriq́ue proprio mortuus, vnquam securè poterit agere cum parentibus. O quàm mihi displicet, dum video quosdam religiosos ardenti desiderio expetere, vt aliquid de parentum statu cognoscant, & ab iis litte-

ras accipiant? hoc enim aliud non est, quàm occasionem quærere turbationis & distractionis in orationibus. Parum est reliquisse parentes corpore, nisi relinquas quoque animo, & cogitatione. O quàm sapienter nonnulli mei serui egere, qui cum ex remotis regionibus suorum litteras accepissent, causa tuendæ suæ quietis, eas nec dum lectas in flammas abiecerunt. O religiosorum quorundam plangenda ineptia. Parentes ab iis relicti in seculo, eorum curam memoriamque omninò deposuére, & ipsi in dies sunt soliciti & anxij de illis.

Nec minus offendunt me ij religiosi, qui non solùm optant, verùm etiam omni studio conantur suos parentes vel cognatos ad magnas dignitates euehere atque ideò secularibus se subiiciunt, vt eorum fauorem venentur; qui sanè & suæ auctoritatis, & religionis suæ non modicam iacturam faciunt. Fili, non animaduertis hoc non esse seruire mihi, sed seruire tuis? Non vides, hoc non esse instruere animam virtutibus, sed alios ditare multis commodis? Quæ regula præscribit, vt in religione agas parentum procuratorem? Attende tibi ipsi. ego certò tibi asseuero, in extremo iudicio non me percontaturum à te, fuerintne parentes

tui

tui in hac vita magni, nec an in procurandis pro eis dignitatibus fueris sedulus, sed potiùs exigam à te rationem, si talibus negotiis te implicueris. Non est hæc via religiosæ perfectionis, sed via amittendi spiritum, omnemque pietatem. Non ingens amentia est, religiosum esse ignauissimum in percurrenda perfectionis via, ad quod obligatur; & esse solertissimum vt sui in mundo euehantur ad maximas quasque dignitates? Ac quod eo deteriùs est, plus mihi displicet esse alios religiosos, qui maiorem curam impendunt, vt parentes & cognati commodis temporalibus abundent, quàm vt spiritualibus. Vnde rarò & frigidè eos cohortantur ad studium virtutum, crebriùs autem & magno affectu eos incitant ad sectandos honores terrenos. Fili, quid tibi proderunt tuorum dignitates & nomina, si tu sis imperfectus? Quod præmium à me præstolaris, si tantùm labores pro carne & sanguine? Multo certè rectiùs faceres pro te, & pro illorum salute, si eos dirigeres in via virtutis, tibi enim accessiò fieret ad meritum, & pro illis securiùs salus animæ promoueretur.

Religiosum magna prudentia & circumspectione debere vti consuetudine aliorum.

CAPVT V.

FILI, omnes religiosi, cum quibus viuis, sunt dilecti mei filij. caritasq; mea quâ complector illos non est partialis, sed generalis, amo enim omnes, omnibusque vera bona opto. Te quoque exemplo meo cupio amare omnes indifferenter, omnibusq; optare perfectionem in hac vita, & gloriam æternam in altera. sic enim postulat ordinata caritas religiosa. O quantoperè mihi displicent familiaritates quorundam religiosorum particulares, qui caritatem, quâ debebant expandere ad omnes, contrahunt ad duos vel tres, cum quibus assiduè consuetudinem habent, & prauo exemplo alios grauiter offendunt. Quomodo autem fieri potest, vt non oderim talem conuersationem? Amicitia, quæ communitatem lædit, nunquam fuit bona, nec vnquam bono fine concluſa est, sed semper aliquid mali peperit, murmurationes, obloquia, querelas, dissensiones, quibus si nulla alia grauiora mala essent, satis forent pernicioſa religioni.

Cum

CVM sis communitatis religiosæ membrum, omni ratione teneris eam non solũ diligere, sed etiam amore illius aduersi aliquid tolerare: nam vt saluum incolumeq; seruetur corpus hominis, sæpè ferro igniq; membrum aliquod vel excruciatur, vel etiã à corpore resecatur, eò quod membra à natura ordinata sint ad corporis totius conseruationem. Si ergò tu diligis religionem tuam, cuius es membrum, operam dare debes vt eam sartam tectam conserues, & omnia à te remouere, quæ perniciem aliquã ei afferre queant, inter quæ meritò reponitur nimia cum quibusdã familiaritas. Qui verè diligit, cauet sedulò ne vlla re offendat amatum. At videmus communitates priuatis amicitiis non parum offendi, maximè si illæ intercedant inter homines liberioris vitæ cupidos, qui neque inter valdè spirituales, neque inter benè mortificatos reputantur. Consequens ergò est, eum, qui non abstinet à simili conuersatione, quæ cætum reliquorum offendit, non esse amatorem communitatis, nec religionis. Probè noui, nonnunquam reperiri aliquem religiosum, qui exiguam vel nullam curam suscipiat amandæ religionis suæ, nihilque pensi habeat, num illa benè vel malè procedat, modo ipse

do ipse suis commodis non careat. Verum scire debet omnis religiosus religionem esse matrem suam, & si eam non diligat, & tractet vt matrem, ipsum non tractandum tanquam filium, sed tanquam ingratũ pro meritis suis aliquando castigandum.

Nec me latet, non desiderari qui se hoc loco excusent, se a natura & complexione naturali procliues tantùm esse ad paucos, & idcircò illorum tantum vsurpare consuetudinem. At vnde didicisti religiosum debere vti duce natura & complexione? Si natura te inclinaret ad otium, vel ad superbiam, posses te dedere otio & superbiæ. Sed memineris fili, te factum religiosum, vt vinceres naturam, & cupiditates inordinatas sanguinis aut complexionis cohiberes. Iam autem liquet particularium familiaritatum affectum, cum spiritui religioso non sit conformis, necessariò esse inordinatum. Nec valet, si dicas. In peculiari ista consuetudine nihil inesse mali, nec peruersum aliquem finem esse præstitutum. Satis siquidem magni mali speciem habet, quo alij offenduntur, & quod spirituales omnes Patres reprehendunt.

Domine, tua voluntas est, vt quisque in spiritu proficiat, eaque media vsurpet, qui-

quibus profectum spiritualem iuuare queat: si ergò ego experiar me consuetudine crebra vnius plus proficere in spiritu, quam colloquio multorum, cur me vis tali præsidio spoliare? Fili, conuersari, quemadmodum conuenit, cum iis, qui te in spiritualibus promouere possint, non potest offendere communitatem. Hoc enim præsidium tibi suppetere potest, etiam exclusa nimia familiaritate, de qua hic sermo est. Verùm si communitas offendatur, signum est conuersationem tuam præscriptos limites excedere, nec esse tam diuinam, & spiritualē, quam tu arbitraris. Ac vt aliquando ex priuato illo congressu haurias aliquem fructū spiritualem, tamen hoc tuum commodum non esset anteferendum communi offensioni tuæ religionis: sed ordinata caritas suaderet, vt alia via eundem tibi fructū spiritualem citra aliorū offensam procurares.

Quod si nimia inter religiosos, seruosq; meos familiaritas alios offendit, ac proinde reprehēsione digna est; quantū offenderet, si religiosus tā crebra cōsuetudine vteretur cū homine seculari, qua occasio dari posset prauarū suspicionū? conuersatio religiosi cū secularibus, non solùm ædificationē præbere debet iis, cū quibus conuersatur, sed etiā

aliis, qui id vident : tenetur enim omnibus bono exemplo esse. Et si prudentes, spirituales que viri iudicent tam crebram consuetudinem cum certa persona non esse salutarem, debent ab ea abstinere. Nec satis est, si quis dicat, se agere de rebus bonis, se laborare pro hominis conuersione, maleq; facere eos, qui secus iudicent. Non nego iuuandos esse proximos, sed id debet fieri per debita media; nimia autem conuersatio cũ aliquo debitum medium non est, nec à caritate ordinatum. Religiosus, qui in iuuandis aliis nullam nominis sui curam gerit, malè facit. Qui verò occasionem aliis præbet malè cogitandi de se, peius facit; nec enim malum tantum, sed etiam species mali cauenda est. Nec satisfacit, qui respondet, se bona vti intentione. necesse enim est & opera nostra esse bona, ab omni suspicione mali aliena. Alij non sumunt iudicium ex tua bona intentione, quam non vident, sed ex conuersatione quam vident : ac vt viderent intentionem, tamen illam non excusarent, quia nimia familiaritate & illam in periculum coniicis. O quot colloquia inter religiosos inchoata sunt cum spiritu, postea verò consummata cum carne & sanguine. Nimia confidentia sui multos impulit in

lapsum.

lapsum. Si multi capti sunt vno oculorum coniectu, quot capientur diuturna conuersatione, crebrisque colloquiis? Sensualitas nostra admodum versuta est, & ne deprehēdatur impostura, nonnunquam se obuelat pallio iuuandæ alicuius personæ, ac initium quidem facit à colloquio spirituali, sed postea sermo affectu plenus facilè ostēdit, quo collimarit. Fili, caue tibi à dæmone, maximè quando se in angelum lucis transfigurat, & velut mortem refuge eius consuetudinem, ad quem sentis affectum sensualem Ignis licet modicus, nisi longè à palea separetur, excitat fumum, & postea flammam.

Svnt alij religiosi, qui contra Superiorum suorum voluntatem ambiunt familiaritates Dominorum mundi, non tam vt illorum salutem promoueant, quàm vt ipsi gratiam benecuolentiamq; eorum sibi concilient; quæ res nonnè est omni lacrymarū fonte plangenda? Fierinè potest, vt religiosus, qui seculo renunciauit, venetur patrocinium Domini secularis? Dic rogo, quam ob rem ambis eorum fauorem & opem? an vt disciplinæ religiosæ facias satis? an vt te mortifices, quemadmodum omni religioso conuenit? vel etiam vt faciliùs contendas

ad perfectionem? At certè in hanc rem fauore vel auxilio secularium non eges, sed si auxilium quæris, multos habes in religione qui tibi auxilio esse possint. Quanquam alij non sunt tam siplices, quin odorentur facilè, te non alia de causa aucupari eorum beneuolentiam & tutelam, quam vt disciplinæ religiosæ te subducas, nec Superior pro sua voluntate possit tibi imperare, quod tuo non arrideat palato. Quid autem hoc aliud est, quàm libertatem secularem veste religiosa obtegere? Quid aliud est, quàm in obscuro degere in seculo, & amicitiam eius inire, in clara verò luce denunciare illi inimicitiam. At ego non minus noctu cerno, quàm interdiu, & exspecto illos quodam temporis momento, cum omni fauore & ope aliorum erunt destituti. Tunc notabitur pernitiosa eorum versutia, ipsique cognoscentes, quàm noxium sit à tutela mea degenerare ad terrenorum Dominorum patrocinia, suo malo clamabunt. *Maledictus homo, qui confidit in homine.*

Ierc. 17.

Religioso fugiendum esse otium.

CAPVT VI.

FILI, à primo mundi conditi initio, exilio damnatum est otium, tanquã plurimorum malorum origo, idq; eo modo factum, vt nullus illud receperit. Vnde Adamus tuus primus parens constitutus est in paradiso terrestri, loco voluptatis, non vt otium in eo ageret, vel recreatione tempus falleret, sed vt Scriptura loquitur, vt in eo operaretur, illumq; custodiret. Eiectus autem è paradiso ne vacaret otio, terra ei colenda tradita est, vt in sudore vultus pane suo vesceretur Tu autem qui factus es laborum huius tui primi parentis hæres, cogitasnè vesci pane sine sudore? Adamus pater tuus etiam in paradiso terrestri, si in eo remansisset, fuisset operatus: & tu in exilio, laborum loco vis otiari? in valle lacrymarum vis operam dare voluptati? Aduerte fili mi, te nondum peruenisse ad patriam, sed esse adhuc aduenam & peregrinum, sicut fuêre omnes maiores tui; Si autem peregrinus velit tandem ad patriam pertingere, non debet vacare otio, vel in in itinere hærere, sed continenter progredi ne à tenebris noctis occupetur. *Gen. 3.*

Seruus

Iob 5. SERVVS meus Iob dixit, hominem natum ad laborem. quare qui diligit otium, & non laborat conuenienter statui suo, videtur conditioni hominis nō respondere. Vnde meritò quidam appellarunt otium hominis viui sepulturam O infelix religiosus, cui in delitiis est hæc sepultura, nec ob inueteratum vsum percipit eius fœtorem: sed sentiet, proh dolor, in morte, quando sentiet & damnum: necesse siquidem erit ei omnibus bonis operibus nudato migrare ad alteram vitam, vbi qui minus operum bonorum attulerit, minori fœlicitate perfruitur, & qui plus afferre poterat, vehementer dolebit, se non apportasse. O quàm verum

Senecæ.

Eccl. 9. est, quod Sapiens ait, canem viuum præstare leoni mortuo. Sunt nonnulli religiosi litteris præclarè exculti, natura generosi, multisque talentis à Deo ornati, sed otio ita addicti, vt cum rem Christianam labore suo mirificè promouere possint, nihil tamen agant: quid verò illi aliud sunt quàm leones mortui? Multo sanè plus præstat canis viuus, hoc est, religiosus ille, qui licet exigua doctrina, tenuique talento instructus, tamen amore mei facit, quantum potest, & valet. Mihi vtiq; plus placet faciens parum, cum nō possit amplius, quā qui potest multa præstare, nec tamen præstat. Ego

Ego semper fui hostis otij capitalis: cõuenit ergò & te qui professionem facis mei imitandi, abhorrere ab ocio. Nosti benè, quemadmodum ab incunte ætate puerili cæperim laborare, nunc matrem pauperculam, nunc Iosephum nutritium meum in arte sua adiuuando. Et tu, qui è sæculo venisti ad laborandum, non iuuabis laboribus tuis matrem tuam religionem, & superiores tuos, qui te nutriunt & gubernant? Recordare, quid meus Apostolus dicat, Otiosum, nimirum, non esse cibo dignum. Velle manducare, & nolle laborare, aliud non est, quàm velle consumere ab alliis parta; quòd indignum est homine, ne dicam religioso. Nec satisfacis, si dicas. Ego paratus sum etiam magnos suscipere labores, sed Superior non vult me occupari laboribus, ad quos sum inclinatus, & commodè præstare possem. Non est hæc iusta excusatio, tuũ enim non est eligere officium quod obeundum est. Famulus in inseruiendo non suam, sed Domini sui sequi debet inclinationem. Idcircò Superior vices meas gerit, vt præscribat subditis, quod ad maiorem meam gloriam facit. Deinde, vndè constat, te rectè munus illud obiturum, ad quod inclinaris? Tu in hoc genere non potes æquus esse iu- 2. Thess. vlt.

dex.

dex ob passionem, quæ te fallit. Vnicuique placét sua, sed hic opus, hic labor est, vt nostra etiam placeant aliis: ac vt placerent omnibus, mihi autem displicerent, quid tibi prodesset? Itaque nunquam immunis eris ab otij noxa, nisi labores pro arbitratu meo tibi per Superiorem declarato.

O quàm pernicioſum est otium homini religioso. Vbi enim regnat otium, non est caritas, quæ non potest, vt benè dicit meus
1. Cor. 13. Apostolus, esse otiosa Si ergò sis otiosus, cõsequens est tibi caritatẽ non inesse. Et quid misero tibi proderit, si donis talentisque omnium creaturarum donatus sis, & careas caritate? Quid meritorum accumulabis, si non operaris secundùm caritatem? Otium, quantum aduersatur labori & caritati, tantùm placet dæmoni, cuius tentationibus & impugnationibus præbet locum & opportunitatem. Vbi otium est, ibi vndique dæmoni aditus patet, est enim illi otiũ perindè atque vrbs destituta muris. Quare prisci illi & sancti Patres eremi cultores crebrò commonefaciebant discipulos suos, vt si liberi esse vellent ab insultibus dæmonis, id agerent, vt semper essent occupati, sic enim præclusum iri aditum ipsius machinationibus.

Facit

FACIT & aliud damnum in religioso otium, vt nempè in multos labatur defectus. reddit enim illum curiosum, silentij præuaricatorem, & obtrectatorē, facit vt alios in suis exercitiis impediat, vt sæpè foras prodeat & per vrbem vagetur, vt varias quærat recreationes & ludos. Non est hæc via comparandi virtutem, nec tendendi ad perfectionem, quam tui maiores sunt consecuti, & nunc bonorum operum suorum fructu iucundissimè perfruuntur.

INFERTVR & aliud ab otio damnum, quod religiosum duabus rebus preciosissimis spoliet, tempore scilicet & vita. an non hæc perspicua est dementia? Ego te vita donaui, eam que conseruo, vt eam meritis locupletares, & nullam rationem habes tui commodi? Quam vtilitatem præstolari a te potest proximus tuus, si tua ipsius commoda flocci facias? Tempus tibi concessi, & opportunitatem excolendæ vineæ, id est, animæ tuæ, & tu finis eam per otium totam syluescere. Quem fructum conferes religioni tuæ, si tam exiguam animæ tuæ curam geris?

Religioso debere esse familiare audire, & colloqui de Deo, rebusq; spiritualibus.

CAPVT VII.

FILII, multi per conciones ad fidem & meliorem vitam sunt traducti, multi quoque colloquiis spiritalibus in amore Dei virtutumque sunt inflammati Vndè tam audire, quam loqui de rebus spiritualibus, plurimum valent ad consequendam perfectionem, quia vtrumque pertingit ad intimum cor. Sermo spiritualis, dum auditur, excipitur in corde auditoris, tanquam semen bonum & sanctum, quod non potest non nisi sanctum producere fructum. Et quoniam idem prodit ex corde loquentis de rebus spiritalibus, necesse est vt ipsius quoque cor, vndè prodit, inflammet. Sermocinatio igitur de rebus piis, tam audienti, quàm loquenti proficua est.

TOTVM hoc verum est. sed si nullus amor insit cordi, nec lingua, nec aures multum se occupabunt in rebus spiritualibus. Vnde putas proficisci, quod quidam tam rarò, & tam frigidè sermonem instituant de rebus diuinis, nisi ex defectu interni amo-

ris?

ris? Vnde credis euenire fastidium & tædium, quando colloquia de rebus piis habentur, & cęlestibus, nisi ex eiusdem amoris defectu? Si in cordibus nostris ignis amoris Dei & virtutum arderet, ilicò ad minimum sermonem de rebus spiritalibus sic accenderentur, vt foris etiam cernerentur flammæ. Nec de alia re colloquia fierent; nihil cupidiùs audiretur, quàm de spiritu, de deuotione, de virtutum amore: non enim solum lingua, sed etiam aures promptissimè obsequuntur, desideriis cordis.

O quanta confusio est quorundam religiosorum, qui cum professionem faciant vitæ religiosæ & spiritualis, tamen neque vnquam agunt, vel inuiti agunt de rebus spiritualibus: cum tamen nullus mortalium sit, qui non libenter loquatur de rebus ad suum officium vel functionem attinentibus, atque etiam libenter audiat alios, si sermonem inferant de rebus ad professionem suam spectantibus. Fili, aues sæpè, & cum voluptate loqui de Deo? Ama illum. Et quo amor altiùs erit infixus cordi tuo, hoc faciliùs iucundiusque de diuinis rebus colloquêris. Optas sæpè interesse colloquiis de rebus cælestibus agentium? Ama ardenter talia colloquia. Amanti siquidem

nihil gratiùs contingere poteſt, quàm audire colloquentes de re à ſe amata.

CVIVSQVE rei bonitas, quò magis eſt explorata, hoc pluris æſtimatur & cupidiùs expetitur. Quod ſi res ſpirituales non ſint in tanto precio, nec tam cupidè expetitæ, quantum merentur, id non aliundè prouenit, quàm quia earum bonitas & excellentia latet. Inter vtilitates autem colloquiorum ſpiritualium vnica hæc eſt, quod eorũ beneficio patefit rerum ſpiritualium dignitas & excellentia. Res odorifera, quò plus manibus tractatur, hoc ſuauiorem odorem exſpirat, ſic res ſpirituales quo crebriùs inter colloquia tractantur, tantò ſuauiorem ſui odorem aſpirant ad auditores, & ob cognitam earum bonitatem ardentiùs amantur. Secus contingit in rebus corporalibus & mundanis, quæ quò amplius expenduntur & tractantur, hoc magis produnt ſuas imperfectiones & vitia, quare & minus à ſapientibus amantur.

DÆMON peſſimè odit colloquia ſpiritualia, & idcircò omnibus viribus ea impedire conatur. Primò enim, ne inducantur, obtendit eſſe moleſta, difficilia, & tempori non congruentia. Si autem inducta fuerint, ne nimium protrahantur, ſuggerit videri

nimis

nimis insipida & exanguia. Quod si autem callidus hostis nactus sit quempiam, qui risu & cachinnis spiritalia illa colloquia interturbet, vel exsibilet, tum dici non potest, quantum exultet; nouit enim nullum esse efficaciùs medium ad labefactandam consuetudinem de rebus diuinis agendi. Nouit tartareus serpens, quantam iacturam per colloquia spiritualia facere cogatur. In iis enim panduntur eius laquei, fraudes & impostura, ne quis in eos indui se incautus sinat; vnde non secus, quàm fur lucem, sic sermones spiritales refugit & detestatur. Cæterùm, quò plus illi displicent, hoc mihi sunt gratiores, & religiosis salutares. An non hæc velut quædam calcaria vrgere deberent religiosos ad amandum, colendumque saluatorem? Deindè si sermones instituantur, de virtutibus, aliisque rebus spiritualibus patefit earum pulchritudo & splẽdor, qui talis ac tantus est, vt apud omnes qui in eam oculos coniecerint, mirabiles sui excitet amores. Quid verò aliud exoptare potest religiosus in hac vita ad benè agẽdum, quàm vt amore virtutum sit incensus? Quid tristiùs contingere potest dæmoni, quam videre virtutem in precio haberi, vitia verò vilipendi?

Dic mihi nunc fili, quam iustam causam obtendas, cur non crebriùs colloquio spirituali oblecteris? Si enim frigidus sis, hoc colloquio incalescès: si indeuotus, nulla via breuior ad parandam deuotionem est, collocutione cum affectu pio instituta. Deindè quid causæ est, cur non libenter aures præbeas exhortationibus spiritualib⁹. Quare dum sermo habetur de nouis huius seculi, vel de rebus ab aliis gestis, quæ ad te non spectant, sic arrigis aures? sed quando de piis & sanctis verba fiunt, vel es somnolentus, vel auscultas cum fastidio? Nonnulli quoque sunt, qui non dignantur intereſſe collationi spirituali, nisi subtiles quidam & sublimes conceptus mentis proponantur & rursus alij, qui etiam in familiaribus colloquiis putant de rebus à communi intelligentia remotis sermocinandum. Sed vtrique hallucinantur, nihil enim tale postulo in collocutionibus piis & familiaribus. Id verò inprimis opto. vt quicquid de deuotione aliisque rebus spiritualibus in illis profertur, id facilè sit, & ad praxin accommodatum, ac proindè omnia potiùs ad afficiendam permouendamq; voluntatem, quam ad pascendum intellectum dirigantur. Neque enim hic vel tempus vel locus

est

est ostentandi ingenij, sed explicandi desiderii, quo quisque religiosus ardere debet, virtutis acquirendæ, & perfectionis consequendæ.

O quantum incommodauit, & adhuc incommodat in religionibus praua consuetudo. Hæc fecit, vt religiosus procliuis & facilis sit ad audiendas res vanas & leues, & effutienda futilia, tardus verò & difficilis ad audienda & commemoranda pia ac salutaria, suæque vocationi congruentia. Et hinc originem magna parte habent abusus & defectus, qui deprehenduntur in quibusdam religionibus. Linguam difficile est cohibere, & nisi eam assuefacias ad loquendū de rebus piis, ægrè abducatur à sermonibus leuibus & vanis. Verum est quidem, nullam huius rei hærere culpam in lingua, sed totam esse custodis cordis. Lingua enim non aliud loquitur, quàm quod scriptum est in corde, & velut tuba cordis, quicquid in eo extat, palam enunciat. Si insint virtutes, deuotio, caritas, spiritus, de his sermonem facit. Si vanitas, mores seculares, aliaque similia, hæc quoque mox aliis prodit.

Religiosum in omnibus actionibus suis debere esse diligentem.

CAPVT VIII.

FILII, famulus, non solùm in ministerio, verùm etiam in omnibus ad suum officium pertinentibus diligens, non potest nõ esse carus suo Domino. Et quamuis aliquãdo delinquat, tamen, quia diligentia prior mente non excidit, Dñs dissimilat: & condonat lapsum. Quod Dominum compellit vt famulum sedulũ diligat, non tam inde accidit, quod ministerio suo faciat satis, quàm quòd videat eum affectũ erga consueta seruitia, omniaq; nõ ex seruili metu, sed amore in se perficere. nam amor est, qui facit eum diligentẽ. E contra, famulus negligens toti familiæ, in qua versatur displicet si quid ei committatur, non constat, an sit facturus, & si faciat, an sit suo tempore, & modo conuenienti facturus. Vnde fit, vt Dominus quaq; hora contra eũ inclamet, turbetur, succenseat. Quocirca negligens, & ipse affligitur, & aliis afflictionem parat. Secus accidit famulo diligenti & nauo, ille enim summa fruitur pace & quiete, & quoniam strenuè officio suo fungitur, vt eandem pacem & quietem colant omnes in familia, efficit.

Mihi

MIHI quoque magnoperè placet religiosus sedulus, sicut contra displicet ignauus & socors. Etsi non omnes seduli dicendi sunt, qui citò expediunt, quæ illis commissa fuerint, sed ij qui imperata conantur perfectè præstare, nec vlli labori parcunt. Sedulus est, qui studet omnia facere suo tempore, & sicut ego volo. Sedulus est, qui quod faciendum est, voluntate prompta occupauit, & potiùs exspectare conatur, quàm ab aliis exspectari. Negligens longè aliam viā terit. Primò enim id laborat, vt quàm citissimè imperata peragat, ne obrepat fastidiū. susq; deq; ferens, quàm benè vel malè peracta sint. Negligens est, qui citra causam iustam, quod faciendum est, de hora in horā prorogat. Negligens atq; etiam malitiosus est, qui data opera se in quapiā re occupat, vel occupatum fingit, ne aliud opus, quod reformidat sibi imponatur. Negligens denique subditus est, qui cum possit, non tamē imperata facit tam accuratè, quàm Superior optaret.

FILI, malè me habet quosdam religiosos diligentes esse, vbi opus non est, & ex negligentia prætermittere, quod necessariò faciendum erat. Non magni refert, si quis negligentior nonnunquam sit in rebus externis

nis pertinentibus ad corpus quod erit cibus vermium: sed si quis negligens sit in rebus animum attingentibus, ac ad bonum statũ & religionis disciplinam spectantibus, quibus mihi consuetus defertur cultus, id non parum noxium est & damnosum. Quanquã multo grauiùs me offendunt ij religiosi, qui nullis parcunt laboribus in procurandis corporis commodis & recreationibus, in spiritalibus autem operibus promouendis somnolenti sunt & frigidi. Haud ignoras quid me⁹ Propheta Ieremias dicat, nẽpè maledictum esse hominem, qui opus dei facit negligenter aut fraudulenter. Si tu potes diligenter expedire res tuas, tibi vtiles & commodas, cur non facis? Si angeli, cæli, elementa, cæteræque creaturæ vigilant in tuum ministerium, cur tu torpescis in cultu mihi creatori tuo exhibendo? Si in gratiam hominum, quorum venaris beneuolentiam, impiger es in præstando aliquo seruitio, cur deses eris in meis, vt concilies meam tui Patris & Domini beneuolentiam? Æstima nunc tu, an non iure maledictus sit religiosus, qui negligenter mea opera præstat.

Ierc. 48.

Si Dominus sedulus sit in procurandis etiam cum discrimine vitæ & fortunarum

suarum, subditorum commodis, & contra subditi ignaui sint in rependendo vicissim officio, nonnè res erit indigna, ac non toleranda? Ego in procuranda salute tua, & meritis accumulandis, nihil desiderari in me passus sum, etiamsi multa grauia mihi perpetienda, ad quæ tamen non tenebar, fuerint. Et tu in benè operando amore mei, totus langueſces, qui ex vocatione es obligatus? & quicquid boni facis, in bonum tuum conuertere potes? Incommodabis plurimum tibi ipsi, & mihi Domino grandem facies iniuriam, si in religione, in qua agitur de honore & cultu mei nominis, non fueris diligens. Dic mihi, si superiores tui negligentes essent in procurandis ad victū & amictum tuum necessariis, quid ageres? & si præterea socordes essent in promouendo tuo profectu spirituali, cuius magno desiderio teneterere, quid non ageres? Certè si æquo animo vtrumque ferres, meum esset castigare hanc negligentiam. Quod si ita est, quid te à pari castigatione eximet, si in obseruatione statutorum religionis fueris incuriosus & deses.

MIHI gratiùs est bonum opus perfectū cum diligentia, quàm multa facta cum negligentia, eò quod diligentia religiosa na-

scatur ex amore, & semper amori coniuncta sit: negligentia verò sit defectus ex imperfectione amoris consecutus. Et iam nemo nõ scit, mihi non esse carum vllum opus quod non sit ex amore profectum, & per amorem perfectum. Adhæc opus factum cũ gaudio, multo gratiùs mihi est opere gaudij experte. Qui in religione operib⁹ bonis vacat diligenter, ferè etiam vacat alacriter, quo nomine & diligens mihi carior est negligente. O quantũ offendor moribus illius religiosi, qui ea tantùm studiosè & nauiter perficit, ad quæ afficitur, cętera autem somnolenter & imperfectè. Quis enim nõ animaduertit eum in illo priori opere, vt nullam fructus spiritualis iacturam faciat, tamen exiguum vel nullum facere quæstum? mercedem siquidem boni operis accepit ex gustu, & voluptate quam inde hausit. Quis non videt eum in posteriori opere magnum facere dispendium, cum certum sit, non satis esse bonum opus facere, nisi fiat benè? Non autem facit benè ille religiosus, qui negligenter & quasi inuitus illud facit.

FILI, conspexi multos, qui etsi in religione optimè vitam traduxerint, tamen in extrema mortis hora plurimum ob negligentiæ scrupulum afflictati fuêre. Sed & sancti

ob eundem scrupulum vehementer in exitu suo trepidarunt. Quidverò facies tu, qui neque es sanctus, neque certus te vocationi tuæ conuenienter vsq; ad extremum spiritũ victurum? Atque idcircò consulto faceres, si crebrò renouares diligentiam, & multò magis amorem diuinum, ex quo illa oritur, si velis in morte dictam afflictionem, & post mortem supplicia alterius vitæ euadere.

Religioso non esse cum quoquam contendendum. sed cum omnibus colendam pacem.

CAPVT IX.

FILI, si in hoc exilio cupis degustare patrię cælestis quietem, studeas fouere pacem cum tribus, cũ creatore tuo, cum proximis, & tecum. Cum creatore pacem coles, si obsequaris eius mandatis, & animam cõserues immunem à peccatis. Væ tibi, si bellum geras cum DEO, qui enim bellum gerit spe victoriæ, conficit seipsum. Peccatum est, quod bellum mouet inter Deum & hominem: quia hominem inducit, vt repugnet sui conditoris voluntati. Tolle peccatum, & pacem cum Deo habebis. Cum proximis verò

verò fouebis pacem, si sis humilis. Humilitas mater est pacis, sicut superbia mater est discordiæ. Humilis cum omnibus tranquillè viuit, & inter superbos pacem conseruat. Et quanquam aliquando cogeretur litigare, vel pugnare, non tamen pacifici nomen amitteret, quia voluntas eius tueretur pacem, necessitas autem intenderet litem, vel dimicaret. Habe ergò humilitatem, & omnibus eris car', ne dum pacificus. Tecum coles pacem si sis mortificatus, & quanta fuerit tua mortificatio, tanta erit & pax. Multiplex pax solet inter hostes iniri, sed nulla præstantior est ea, quæ nascitur ex victoria bello parta. Passiones & cupiditates effrenatæ sunt hostes, qui te turbant & molestant, & ideò ad obtinendam pacem firmam & diuturnam necesse est continuò eos bello fatigare, & victorias prosequi: si enim pugnam abruperis, nullam tibi pacem & quietem indulgebunt.

Isa 9. Ego in Scriptura sacra appellor Princeps pacis, & meritò. quia semper fui pacis amator. Vnde postquam natus sum, angeli cecinerunt. *Luc. 2.* *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Deinde ex hoc mundo migraturus ad Patrem, non aliud testamentum, & hæreditatem meis discipulis *Ioan. 20.*

scipulis & successoribus reliqui nisi pacem & caritatem. Quocirca eum religiosum, qui non fouet in corde suo pacem, non agnosco pro meo discipulo, & hærede, sed est exhæredatus. Age dic, quis te docuit contendere in religione, quæ est domus mea, domus pacis & concordiæ? Tibinè conueniens videtur, vt qui mundum deseruisti, vt vitam tranquillam in religione duceres, nō solùm non viuas in pace, sed etiam aliorum pacem conturbes? Contentiones & discordiæ, sunt deterrima mala, quæ in mundo esse queant. Quod si tu arbitraris te magnam rem egisse deserendo mundum, amicos, facultates, inferendo verò in religionem lites & dissensiones, vehementer falleris, quia ex mundo retinuisti quod erat pessimum. Religio nihil prodesse potest ei, qui in pace nō viuit. Non potest autem habere pacem, qui in religione non instituit vitam, secundum institutum & spiritum eiusdem.

DOMINE, ingenuè agnosco contentiones nulla ratione decere religiosum: sed in hac vita tot sunt tricæ & controuersiæ, & homines tam sunt contentiosi, vt qui vicissim non contendat cum ipsis, iure suo sæpè excidat, & pænè pedibus ab aliis proculcetur. Fili, melius est sine lite conculcari ab homi-

hominibus, quàm contendere & conculcari à dæmonibus. Et quamuis alij omnes cõtenderent, nemo tamen cogere te potest ad contendendum. Et si fortè aliquis velit rixari tecum, dic illi cum Apostolo, *Nos talem consuetudinem non habemus.* Nec enim deerunt media, quibus obtineas, quæ tibi iure debentur. O quàm fallitur religiosus ille, qui quoniam videt pro se stare æquitatem fas sibi esse putat cum alio contendere. Nõ est ita. Vt enim fas sit, non deceret tamen eos, qui perfectionem vitæ profitentur, cum ego in mea lege docuerim, ad pacem tuendam, potiùs esse cedendum, sic prorsus, vt conanti tollere tunicam, ne contentioni sit locus, relinquatur & pallium. Licet tamen disputationes instituere, si fiant vel pro defensione veritatis, vel ad ingeniorum excitationem. Licet & lites ciuiles vel Ecclesiasticas aliis intendere, modo id fiat ex iustarum legum præscripto. Solæ illæ contentiones vetitæ sunt, quæ cum iustitia pugnant, quæ discordiam pariunt, quæ causam odiis præbent: his enim si vtaris planè ostendis te mærere sub signis hostis infernalis, qui dux est omnium dissensionum, & infestissimus pacis ac concordiæ inimicus.

2. Cor. 11.

Ex

Ex praua radice non potest oriri nisi mala arbor, & ex mala arbore non nisi mali fructus. Radix contentionis est superbia. si enim alter alteri cederet, nulla esset pugna, nolle autem cedere, argumentum est superbiæ. Quod si contentioni accedat inuidia, quæ est superbiæ filia, grauiùs & periculosiùs nascitur bellum. Sæpenumerò enim vsu venit in cõtentionis ardore, vt quãuis quis se ratione omni destitutum cernat, tamen ab inuidia stimulatus, ne alteri cedat victoriam, certamẽ mordicus prosequatur. Ac si fortè contingat vtrumq; contendentium præduri esse capitis, vel naturæ impotentioris, vel suæ sententiæ patronos præsentes habere, vel certè honoris sui amantiorem esse, eousq; contentionis flamma aliquando grassatur, vt nullo præsidio extingui possit, nisi cum exitio ipsorum.

Fructvs huius arboris admodum religioni sunt noxij, in qua euellenda si non vigilet, verendum est ne breui multis venenosis fructibus abundet, hoc est odiis, dissidiis, murmurationibus, proditionibus, vltionibus, aliisque id genus vitiis. Nec erit religio amplius schola virtutum, sed sentina vitiorum, & receptaculum dæmonum, imò ob scandalum secularibus,

datum

datum erit deterior inferno. Infernus cum sit locus tormentorum, & ærumnis plenus, in quo castigantur peccatores, ad peccandũ neminem inducit, sed potiùs a peccato absterret. At religio, in cuius penetralibus viget discordia & odium, ob scandalum datum inducit seculares ad grauiùs peccandum. Si enim secularis animaduertat & religiosos inter se contendere, cogitabit multò magis sibi fas esse huiusmodi contentiones prosequi Quod si verò contingat seculares miscere se religiosorum rixis & altercationibus, iam religio non aliud efficitur, quàm confusionis diabolicæ domicilium. Apostoli mei quoque inter se contende-
Luc.9. runt, quis illorum esset maior; & quanquã
Mat.10. error illorum non esset grauis, nec damnũ aliquod magnum allaturus fuerit Collegio Apostolico, nihilominùs declaraui mihi nõ parum illam contentionem displicuisse, & adhibita correptione semen discordiæ sustuli, eosq; docui sectari humilitatem, quæ est mater concordiæ. Adhæc sententiam il-
Mat.18. lam metuendam adiunxi. nisi efficiantur sicut paruuli, in regnum cælorum nunquã ingressuros. Fili, si quisquam reperitur amans pacis & vnionis inter religiosos, is sum ego. Et si cui displicent religiosorum dissidia

dia & lites, is inprimis sum ego. Atque ideò, vt tranquilla & pacifica in religionibus vita ageretur, præterquam quod illis ademi MEVM, & TVVM, omnis discordiæ fontes, effeci etiam vt omnes eorum constitutiones & regulæ ad fouendam pacem & concordiam dirigerentur. Verùm dæmon proseminauit in iis existimationis propriæ zizania, quæ nisi pedibus conterantur, existunt omnium certaminum & litium seminarium.

Quemadmodum religiosus gerere se debeat in suis tribulationibus.

CAPVT X.

FILI, si possis ingredi regnum cælorum sine tribulatione, vel sine aduersitatum in hac vita perpessione, secundùm amoris legem non deberes id optare, quandoquidem ego Dominus tuus illud sum ingressus per viam crucis & tribulationis. Sed & beati omnes, qui nunc summa tranquillitate & gaudio fruuntur in cælo eandem viam tenuerũt. Quare si tu aliam quàm tribulationum viam tenere desideras, non peruenies in locum quietis & gaudij, sed laborum &

miseriarum, siquidem certum est, non posse quempiam in terra pariter & in cælo gaudere. Si tu in hac vita imitator sis diuitis epulonis, quomodo cum Lazaro poteris viuere in altera? Ego certè qui tribulationibus multis probatus, crucem quoque ponderosam humeris meis deportaui satis declaraui, quæ via ad patriam tenenda sit. Act. 14. Apostolus quoque meus satis luculenter exposuit, non esse aditum ad regnum cælorũ, nisi per multas tribulationes. Vndè ad filios Zebedei carissimos meos discipulos, cum optarent, alter ad dexteram, alter ad sinistram considere in regno meo, dixi, nescire quid peterent; eò quod primum agendum fuerit de perpessione tribulationum, ac deindè de remuneratione? Falleris ergò, si putas tibi aditum patere ad cælum sine cruce, & tribulationibus. Falleris, si existimas sine tolerantia aduersitatum te posse viuere. Falleris inquam, si cogites te in religione posse esse liberum ab omni afflictione. Si externæ tribulationes desint, præsto erunt internæ. Nunquam enim prauæ inclinationes, passiones, & cupiditates inordinatæ hominem quietum, & ab omni cruce immunem esse sinunt. Ac vt illæ desint, ego tamen non desistam tibi in salutem & commodum

Mat. 20.

modum tuum aliquam afflictionem immittere. Ergò, quoniam certum est, & indubitatum, in hoc exilio non posse vitam sine crucibus, & tribulationibus traduci, cum vita ipsa sit continuata tribulatio, consulto profectò faceret quilibet religiosus, si ex necessitate faceret virtutem, atque accommodaret se ad crucem patienter, fortiqúe animo tolerandam. Labor omnis, quò æquiori animo excipitur, hoc leuiùs toleratur. Quisquis renuit me sequi cum cruce, eum sua crux consequetur.

Fili, quid agis, quod inter afflictiones conquereris, & animum deiicis? Nonnè aduertis te eas reddere acerbiores, & plus te excruciare? Putasnè, quod propter afflictiones, quas toleras vt potes, mihi sis minus carus? Non sum ego similis hominum huius seculi, qui amicos, quando in aliquam calamitatem inciderint, deserunt, immò nonnunquam immitto quibusdam tribulationes, vt illis adsim iam tribulatis. Certè seruos meos, quo ardentiùs diligo, hoc magis arguo & castigo, vt accuratiùs expurgentur ab omnibus peccati sordibus, & virtus eorum amplius roboretur, ac robocata aliis demonstretur. Si tibi perspectum esset, in quantis delitiis apud me sit religio-

ſus, probus & perfectus, quando in afflictione & ærumna eſt, mirareris à me illi non immitti grauiorem ærumnam. Ille ſiquidem in eo ſtatu nullius lucri ſpiritualis iacturã facit, immò ingentem facit quæſtum. ſuoque exemplo mirificè alios inflammat ad amplectendas libenti animo tribulationes, doni cæleſtis, & ſaluberrimi loco reputandas. Quare crebrò contingit, vt pius aliquis & religioſus homo huiusmodi afflictionibus exercitatus, plus poſſit, quã multi concionatores. Multò fructuoſior eſt patientia opere ipſo demonſtrata, quàm in pulpitis deprædicata.

O quanta in gratia apud me eſt religioſus, qui oborta aliqua afflictione primum eam tanquam peculiarem meum fauorem excipit, & ex corde mihi gratias agit, deindè ex ea conatur aliquem pro anima ſua excerpere fructum, imploraro auxilio meo, quo eam amore mei fortiter & libenter toleret. Quomodo autem fieri poteſt, vt tali religioſo non ſuppetias feram? qua ratione non ſim illi præſto in tribulatione? cur talem non liberem? non glorificem? Contra, quantoperè mihi diſplicet, videre religioſum in minima tribulatione ingemiſcentem, murmurantem, indignantem, haud

ſecus

secus ac mihi indixisset bellum? nonnè hæc est luculenta arrogantia? nonnè hoc est gladij aciem, manu apprehendere? Verum est, tribulationem esse gladium, sed is manubrio apprehendendus est nam qui secundum aciem illum apprehenderit lauciatur. Religiosus bonus, qui gladium tribulationis apprehendit secundum manubrium, eò fructuosè vtitur in rescindendis imperfectionibus & superuacuis cupiditatibus, atque etiam in depellendis ab anima sua omnibus hostibus.

FATENDVM est tribulationem esse amaram, sed non est mala. Nec esse potest propriè mala, quoniam à Patre cælesti venit, cuius est bonitas infinita, & conducit ad summum bonum, sicut conduxit omnes beatos nunc in cælo degentes. Quandoquidem ego, filius Dei, nunquam expers fui tribulationis, idcircò non conuenit, vt religiosus eam propter amaritudinem suam refugiat. Qui amore mei semel se spoliauit huius mundi illecebris, in religione sectari debet non sensuum sed animæ voluptatem. Si ego amarum passionis calicē repulissem, quis tuus, totiusque generis humani status foret?

SVNT nonnulli, qui arbitrantur affli-

ctionem, quam ipsi tolerant, nimiam esse, imò excedere omnes ærumnas & cruces mundi. Et non est ita. immò grauiter me ea opinione sua offendunt, quia fingunt me esse crudelem tyrannum, qui grauiora onera imponam hominibus, quàm vires sustinere queant. Non me latet, quantum quisque tolerare possit, scio quoque quid cuiq; prosit vel obsit. Sed ita fit, vt ei, qui vsum nullum habet afflictionis sustinendæ, etiã minima miseria magna fiat & intolerabilis. Et qui non probauit, vel ignorat calamitates aliorum, existimat suas esse maiores.

QVANDO quis in hac vita immunis est ab afflictione, eique ad votum omnia succedunt, bonum signum non est, quia siue sit iustus, siue peccator, verendum est ne pœnis æternis sit addictus, prosperitasque huius vitæ ei cesserit in remunerationem bonorum quæ hic egit. Quando de ægri vita desperatur, porrigitur ei degustandum, quicquid postularit. At quando quis obnoxiùs est tribulationibus, bonum est signum. Si enim bonus sit, per tribulationes fit melior, & instar auri, quò plus purgatur, fit perfectior & splendidior. Si verò sit in statu peccati, tribulationibus excitatur vt ad mentem redeat, & miseria sua perspecta resipi-

resipiscat. Rebus prosperè fluentibus filius prodigus deseruit Patrem, ac cum fortuna in contrarium se inflexit, sui status calamitatem animaduertens ad Patrem redire coactus est. Sæpè tribulatio parit intelligentiam, vbi prosperitas tollit. Quam multi sunt, qui quoniam nullis premuntur aduersis, aut mei memoriam deposuêre, aut parum sunt amantes mei? at vbi vel minimum febriculæ, alteriusuè morbi periculosi tempestatem illis immisero, ilicò accurrunt & clamant. *Domine, salua nos, perimus.* Necessitas, quæ compellit homines ad me venire, salutaris est, sed à paucis desiderata, quia ignota. *Luc. 15.* *Mat. 8.*

MVLTI sunt infirmi, sed non agnoscunt infirmitatē suam, & vt agnoscant, nesciunt qua medicina sit pellenda. Multi etiam proximi sunt morbis, sed modum eos præcauendi ignorant. Ego sum religiosorum medicus domesticus, & accuratè omnium complexiones cognosco, causas quoque morborum non ignoro, & medicinam omnibus tollendis congruentem facio. Medicina est tribulatio, quæ quo æquiori animo sumitur, hoc ad sanandum est efficacior. Hæc medicina à me præscripta, & cum patientia sumpta, non solùm tollit prauos

morbi effectus, verùm etiam, si conuenienter sumatur tollit omnium antecedentium ægritudinum reliquias. Proprium huius antidoti est penetrare ad mali radicem, eamque euellere, quæ est superbia: vnde humiliando sanat, proteruos, iracundos, & terribiles mansuefacit tanquam agnos. Hæc medicina religiosum quemlibet docet, quantos in religione fecerit progressus, quàm solidus sit in virtutum studio, & quãtum coniunctus sit mecum, creatore suo & redemptore. Denique tribulatio efficit, vt quicquid in anima deliteſcit, prodeat foras, siue virtus sit, siue vitium.

Est & alia tribulationis proprietas, quod hominem præseruet à malis futuris. Multi sæpè proximi fuêre grauissimis lapsibus, sed post immissam à me aliquam calamitatem, reuocati sunt ab illis. Non mihi placet religiosus, qui dolet dum in aliquam ægritudinem lapsus est. deberet enim cogitare non minus apud me donum esse infirmitatem, quàm sanitatem. Atque vnde ille scit se mihi melius in sanitate, quàm infirmitate seruiturum? Vnde nouit, vtrum illi amplius prosit, lecto esse affixum, an vagari hinc inde? Vnde scit, an cum ægritudine grauioribus malis & periculis sit liberandus?

randus? Ac ideò quisque se debet commendare meæ voluntati, & grato animo amplecti, quicquid præscripsero, nec aliud quærere, quàm fructum aliquem ex tribulationibus haurire.

FILI, statue aliquid: quia quàm diu durabit peregrinatio in hac carne mortali, subiectus eris tribulationibus. Delige locum, quemcunque volueris, ini vitæ statum, qualem collibuerit, nunquam deerunt aduersa donec ad patriam cælestem commigrâris. Scias quoque, cum tribulatio sit medicina, eam operari secundùm dispositionem, quam inuenit, ac proinde nunc prodesse, nunc obesse potest. Si eam suscipias cum humilitate, patientia & gratiarum actione multum proderit. Si contra eam amplectaris inuitus, cum indignatione & querelis in eum qui immittit, multum oberit, & afflictionem duplicabit. Illi enim, quæ extrinsecus contingit, & sentitur, accedet alia dominata, & minus animaduertitur, nempè illa, quam cupiditates inordinatæ in animo gignunt, dum interiùs excandescit homo ob tribulationem voluntati suę repugnantem. Tribulatio, quæ grauatè suscipitur, non imminuitur, sed potiùs adaugetur.

SVNT aliqui, qui cum nequeant conqueri de tribulatione, tanquam de re mala, querelam omnem transferunt in creaturas à quibus illa proficiscitur, & dicunt. Tribulationem non magni facio, sed illud molestè fero, hunc vel illum eius esse autorem, atque si citra meam voluntatem & permissionem alius ab alio possit tribulari. Non est ita. Omnes tribulationes mea ordinatione eueniunt, vtorque creaturis, nunc ad quosdam puniendos, nunc ad præbendam aliis merendi occasionem, & virtutem aliquam exercendi. Querela autem eorum non aliundè nascitur, quam quod molestè ferant aduersitates; cum enim pudeat eos id ingenuè confiteri, ne videantur virtute patientiæ aut fortitudinis destituti, conuertunt se in creaturas, & causantur se plus æquo & sine moderatione ab illis exagitari. quod multò peius est. Declarant siquidem se non solùm patientia, sed etiam caritate debita vacuos esse.

DIC mihi fili, cur, quando incidis in amicum valdè afflictum, continuò illi suggeris tam multa bona consilia, atque remedia: & tamen si tu eadem vel simili afflictione excrucieris, nullum illorum vsurpas? Nosti aliis dicere, vt patienter omnia

ferant,

ferant, vt diuinæ voluntati se conformẽt, vt post tribulationem expectent consolationem, Patrem cælestem nullam ærumnã immittere filiis suis, nisi in maius ipsorum commodum. Quando autem in domum tuam diuertit tribulatio, cur non cum patientia eam excipis? cur voluntati diuinæ non te conformas? cur non excerpis ex ea fructum aliquem spiritualem? Bonus medicus non est, qui sibi non applicat, quod aliis salutare esse existimat. Id verò deterrimum est, quod in tribulatione indigneris, & dicas. Quid feci? quid, inquam, feci? Admouè manum pectori, & deprehendes te filium Adæ, in peccato conceptum, & non tam innocentem, quàm putes. Rectiùs igitur facies, si dicas. *Domine, auge dolorem, auge & patientiam. Hic ure, hic seca, vt in æternum parcas.*

FINIS.

MOGVNTIÆ,
EXCVDEBAT BALTHASARVS LIPPIVS.
Cum Cæsareo priuilegio & concessu Superiorum.

MENDA SIC EMENDA.

Pag. 11. v. 8. Lege. iugi. p. 12. v. 3. si vis p. 36. v. 6. superiorem. p. 45. v. 24. eumq;. p. 53. v. 8. perfecti religiosi. p. 54. v. 6. religiosus. p. 60. v. 4. nimiũ. p. 114. v. 9. vt quoniam. p. 117. v. 10. & si p. 121. v. 22. armatus. p. 139. v. 4. amatoris p. 145. v. 23. conferrẽtur p. 157. v. 28. adolescenti illi p. 163. v. 2. omnia illi p. 163. v. 2. magnum p. 192. v. 19. & dedecore p. 199. v. 10. detractionum p. 210. v. 20. sibi sublatũ p. 220. v. 2. quot. v. 11. duce indiget v. 23. suo damno p. 242. v. 11. tu modo. p. 245. onusta, callidus p. 252. v. 8. filij huius seculi. p. 257. v. 1. qua in re. p. 259. v. 24. acerbiorem mortem p. 262. v. 23. interueniente p. 268. v. 11. proprii iudicii v. 20. imperfectioni. p. 286. v. 15. auersaris p. 290. v. 15. aut non sicut deberet p. 323. v. 3. nec auolare. p. 326. v. 7. nunc item p. 332. v. 11. libellam p. 20. induci. p. 337. v. 23. accidit p. 344. 1. sumi v. 5 referret p. 345. v. 2. dormiat p. 348. v. 5. tractaturi. p. 376. v. 28. penus.

Liber collegij Soc: Jesv Paderb. Aº. 1606.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN